& loquendi modos, qui illic occurrunt; nihil te fallit, nihil te fugit; & Hæreticus, exempli gratia, ſperare poteſt ſe omne illud, quod poteſt, peperiſſe malum, ex quo ſcit cum voluptate illud opus legis, quod in lucem edidit. *P. Stephanus Chamillard in ſermone manuſcripto.*

LICENTIA,

Effuſæ in omni intemperantia libidines, incompoſiti mores, Bacchanalia. Solutior æquo vita.

MONITUM.

NON modicum diſcriminis intereſt inter illud vivendi genus, quod in aperta, & procaci vivendi licentia ducitur, & illud, quod mollem vitam dicemus, de quo ſuo loco ſermo erit. In vita molli, ubi omnia vitæ quæruntur commoda, atque omnes mundi hujus deliciæ guſtantur, modus aliquis ſervatur, exiſtimationis ſuæ geritur cura, ſtatum quid deceat ſuum ſpectatur; cum interim ea in licentia, de qua iſtic ſermo eſt, non deſint effuſæ in omni intemperantia libidines; atque Ethnicorum more vita ducatur.

Primum quidem animus erat de ſolis Bacchanaliorum flagitiis loquendi, quo quidem tempore frequentius in omnia vitiorum genera frænum laxatur, atque omnia ad exceſſum prorſus evadunt; verum enim vero, cogitanti mihi vivendi licentiam, effuſaſque libidines non intra illud tantummodo temporis ſpatium contineri; ſæculique licentiam omni tempeſtate graſſari; immo omnem plurimorum mortalium vitam jugem eſſe licentiam, quam neque religio, neque Dei metus, neque temporis ipſius calamitas cohibere poſſunt, æquius viſum eſt eodem titulo ea quoque complecti flagitia; quibus procaces homines quocumque tempore ſe mancipant, quamvis de bacchanaliorum depravata conſuetudine ſim potiſſimum verba facturus.

Hæc in argumento duo tantum evitanda ſunt. Primum ne morum licentia cum licentia fidei confundantur, quod vulgo intelligitur; cum ſermo eſt de flagitioſis hominibus nullam religionem habentibus, vel incompoſitis moribus ſuis accommodatam religionem concinnantibus; de quibus in Titulo de Atheiſmo *verba fecimus: alterum, ne de quolibet vitio ſingillatim fuſior inſtituatur amplificatio, veluti gulæ, impudicitiæ &c. quorum ſingula peculiaris concionis ſunt argumenta; ſed generatim differendum eſt de publicis vitiis, ac ſolutioris vitæ flagitiis, in quo procax licentia conſiſtit.*

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia hujus argumenti concionum ſyſtemata.

I. PRO effuſis in omni intemperantia libidinibus, quas omnes ſibi fere permittunt bacchanaliorum diebus, hæc inſtitui concionis partitio poteſt. 1. Hæc ſolatiorum genera, quæ ægre quovis alio tempore probantur, hoc culpa vacare non poſſe, quo moderatiſſimus quiſque majorem, quam vulgo, ſibi libertatem permittit, propter periculum ea ſcelera perpetrandi, quæ numquam poſſunt permitti. 2. Quia vitia, in quæ facilis patet lapſus, numquam majus afferunt ſcandalum; ideoque numquam ſunt, quam hoc tempore, nocentiora:

II. Pars Prior. Ut autem luce clarius appareat, quod primum vobis propoſui, numquam videlicet majus eſſe periculum, quam hiſce hilariorum, vel potius libidinum diebus, in graviſſima proruendi ſcelera; per vos mihi liceat (Auditores) diſcrimen illud ſtatuere, quod ſemper habendum eſt inter voluptates, atque ſolatia; non enim omnia ejuſdem generis ſunt, neque omnia in eadem ſcelera viam poſſunt aperire. Solatia quædam omnium ſunt temporum, ac in nullo diſcrimine poſita ſunt, quorum ſolus exceſſus poteſt redargui; hujuſmodi ſunt deambulationes, venatus, corporis exercitationes, quæ & valetudini æque, & voluptati aliquid conferunt. Neceſſitas, qua illa probantur, eadem quovis etiam tempore conſtituit, & lex ea nonniſi moderari poteſt, eorum tempus dirigens, atque nimium eorum amorem coercens. Alia vero ſunt, quæ conſuetudo, quam cum S. Baſilio Dæmonis traditionem vocare poſſumus, in hoc bacchanaliorum tempus invexit; qualia ſunt aleæ, choreæ, nocturni conventus, convivia, quæ non aliud ſunt quam meræ libidines; ſpectacula, ubi pudor, & honeſtas periclitantur; aliaque id genus, quæ jam diu plurimis ab hinc ſæculis abolere conantur Eccleſia, & contra quæ Concionatorum zelus adeo frequenter erumpit. Dico autem; licet ex hujuſmodi ſolatiis nonnulla per ſe culpa vacare poſſint, hoc tempore ut plurimum eſſe nequiſſima. 1. Propter ſpiritus diſpoſitionem, quæ tunc maxima viget, & pravum exemplum, quo omnes fere trahimur; cum enim ita affectus ſibi ſpiritus, quis ſibi promittere poteſt, ſe modum, qui tantopere neceſſarius eſt, non exceſſurum? 2. Quia quidquid nos in aliquod vitium poteſt impellere, ac timorem injicere, ne in illud ruamus, jam impellit, invitat, allicit, illudque etiam probare videtur; conſuetudo, ſocietates, metus ne ab aliis in ludibrium traducamur, digitoque notemur &c. Attamen quis affirmare auſit, hoſce exceſſus innocuos eſſe, vel hæc ſolatia eſſe permiſſa ſub prætextu conſuetudinis, quæ contra Dei legem nequaquam præſcribere poteſt? 3. Quia hæc ſolatia per ſe hoc tempore magna ſunt vitia, quia aſſidua ſunt, quia in illis omne tempus teritur, quia illis ſeſe omnino mortalis mancipat, & quia pleraque vel criminoſa ſunt, vel periculoſa.

Pars altera. Flagitia hæc, in quæ facilis patet lapſus, numquam magis eſſe criminoſa, magiſque vituperanda, quam hoc tempore. 1. Quia hoc potiſſimum tempore majus ſcandalum afferunt, quæ una circumſtantia efficere poteſt nequam, quod ſuapte natura culpa vacaret. Scandalum affertur Eccleſiæ, quæ in fletus erumpit; bonis, qui iteratis pietatis exercitiis nequicquam contendunt hujuſmodi effuſiores libidines tollere; proximo denique, qui occaſionem arripit id faciendi, quod ab aliis fieri intuetur. 2. Quia hæc vitia, & exceſſus frequentiores ſunt, magiſque familiares, quam alio quovis tempore, immo ſunt majores, quod nemo inficiatur. 3. Quia funeſtos exitus habent. Effuſioris quippe licentiæ ſpiritus arripitur, qui non adeo facile abjicitur; habitus contrahuntur, qui difficillime poſſunt aboleri; minus diſponitur animus quadrageſimali jejunio, & pœnitentiæ &c. *Partitio hæc deſumpta eſt ex Auctore ſermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta.*

Oſtendi quoque poteſt effrænata licentia, ac depravatum vivendi genus, quod hoc tempore regnant, 1. Divinæ juſtitiæ flagella, & ſupplicia in urbes generatim, & in ſingulos peculiariter detrahere, qui effuſioris, proterviæ apertiora tradit indicia. Rationes hæ ſunt, quia hoc tempore in majori Dei oblivione vivitur; graviora pluraque peccata committuntur, ac major divinarum legum contemptus oſtenditur. 2. Hæc flagella, atque ſupplicia vulgo aliquam habere rationem cum peccatis, quæ perpetrantur. Ita convivia, atque intemperantia famem, meſſiumque ſterilitatem; alea bonorum jacturam, ac rei domeſticæ interitum; voluptates, ac profana ſolatia publicas deſolationes, bella, morboſque; Dei oblivio ſecum trahit cæcitatem, finalemque impœnitentiam, quod eſt ſuppliciorum omnium maximum.

Circa ea ſcelera, atque flagitia, quæ hiſce libidinum, atque intemperantiæ diebus committuntur; hæc S. Augu- III.

gusti-

guſtini verba, quibus eamdem evitandi rationem admonemur, conciones partitionem poſſunt tribuere.

1. Per hos dies, quibus effuſæ in omni intemperantia libidines tot effundunt tenebras in peccatores, Deum oremus, pater ille inquit, ut nos ſuo lumine repleat, ut eas cognoſcere, atque damnare poſſimus: *Deprecanda eſt miſericordia Dei, ut donet intellectum ad iſta damnanda.* 2. Per hos dies, quibus tot ſcelera Salvatoris mortem, & paſſionem inſtaurant, precemur Deum, ut ſanctas nobis affectiones immittat, ut illa fugiamus ac deteſtemur: *Affectum ad iſta fugienda.* 3. Per hos dies, quibus hæc eadem flagitia tot Eccleſiæ dolores, ac gemitus afferunt, Dominum obteſtemur ſuper aris expoſitum, ut illa nobis dignetur ignoſcere. *Miſericordiam ad ignoſcenda. Ex Moralibus ſermonibus. Sermone de Dominica Quinquageſima.*

IV. 1. Hi bacchanaliorum dies impiis quidem cæcitate perculſis, atque palam præferentibus ſigna unde reprobatos eſſe, atque a Deo derelictos innoteſcit, dies ſunt libidinum, ganearum, omniſque intemperantiæ. 2. Chriſtianis vero fidelibus fervorem, atque pietatis exercitationem hoc tempore, quod alii in intempeſtivis conviviis, alea, & impudicitia traducunt, inſtaurantibus, dies ſunt gratiarum propitiationis, miſericordiæ, indulgentiæ, atque ſalutis.

V. Cum hebdomadæ hujus Evangelium de cruce, ac Salvatoris morte loquatur. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur, & illudetur, & crucifigetur,* &c. in duabus concionis partibus oſtendi poteſt.

1. Peccatores, procaceſque homines hoc effuſioris licentiæ tempore Jeſu Chriſti crucem evertere. 1. Quia illius fructum auferunt, ac meritum inutile efficiunt. 2. Quia ſeipſos inimicos crucis Chriſti profitentur, quemadmodum S. Paulus loquitur, ea ſecuti dogmata, quæ Cruci ejuſdem ſunt prorſus oppoſita. 3. Quia omnia Crucis veſtigia in Chriſtianiſmo delent, qui non eſt amplius vita crucis, ſed voluptatum, & ſolatiorum.

2. Hi peccatores ipſi novo impietatis ſcelere eamdem crucem iterum extollunt, & erigunt. 1. *Quia eaſdem* inſtaurant *contumelias*, quibus Dei filius affectus fuit: *Tradetur, illudetur, crucifigetur.* 2. Quia illum majori cum cognitione offendunt. 3. Quia injuriæ, quas illi inferunt, longe graviores ſunt, acerbioreſque.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas.

SS. Patres. CUM Bacchanaliorum, hilariorumque nomina ignota fuerit Sanctis Patribus, non ſecus ac effuſiores in omni intemperantia libidines, quibus fidelium plerique hoc ſe mancipant tempore, nullo loco afferre poſſumus, aut verba, quibus eædem ſub hoc nomine damnentur: ſed cum Ethnicis alii fuerint dies feſti, ludiſque & ſpectaculis ſuis deſtinati, contra quos Patres omni niſu, ac vi invecti fuere, ut ab iiſdem Chriſtianos homines deterrerent, ne & ipſi eorum ſordibus polluerentur; qui eorum auctoritate voluerit uti in argumenti hujus ſermone, ea quæ Patres dixere de prophanis temporum ſuorum oblectamentis, ad hujus temporis ſolatia, quæ nihil minus noxia ſunt, poſſunt transferri. Itaque, ne uti in adagio eſt crambe recocta enecet, conſuli poſſunt quæ a nobis dicentur, dictaque fuerunt in titulo de *ſolatiis, de ſpectaculis, ludis, & choreis, de conſuetudine & ſcandalo.*

Præterea peculiariter videnda ſunt, quæ Salvianus ait lib. 7. *de Gubernat.* ubi hujus temporis vitia per hypotipoſim deſcripſiſſe videtur; necnon conſulendus eſt S. Petrus Chryſologus ſermone 155. ubi in eos declamat, qui perſonam induunt, quod nunc paſſim fieri conſuevit.

In Titulis, quos memoravi, invenietur quid Patres dixerint adverſus aleam, choreas, comœdias, convivia, aliaſque id genus procaciores libidines, quæ per hoſce bacchanaliorum dies committuntur, quibus in id unum mortales operam navare videntur, Ethnicorum flagitia, libidineſque rurſus in conſuetudinem revocaturi.

Aſceticis, aliique. Lancicius *Opuſc.* 11. *cap.* 22. agit de devotionibus, quas fidelis bacchanaliorum diebus exercere poteſt, ad evertendam Domini iracundiam, qui hoc tempore magis, quam alio quolibet læditur.

Engelgrave *part.* 2. *Lucis Evangelicæ in Domin. Quinquag.* pluribus oſtendit exemplis, a peccatoribus hoc tempore Filium Dei crucifigi.

Qui loqui voluerint de ſpirituali cæcitate, quæ numquam vel gravior eſt, vel magis metuenda quam hoc tempore, quo tenebræ, & flagitia debacchantur, videri poſſunt ea, quæ hoc in titulo a nobis indigitata fuere, eoſque auctores conſulere, qui de eadem pertractant.

Delrius *in opere Mariano lect.* 4. *de Paſſione Domini* loquitur de ſceleribus, quæ, dum bacchanalia fuerunt, perpetrantur.

Polydorus quoque Virgilius *lib.* 3. *c.* 17. loquitur de flagitiis, quæ per hoſce dies graſſantur; & lib. 5. agit de larvatis, & perſonatis hominibus.

Thomas Stapletonus, *orat.* 8. *Academ. tract. de bacchanalibus.*

Qui de ſolatiis generatim, vel ſpeciatim de ludo, ſpectaculis, intemperantia loqui volunt, hos adeant titulos ubi eos memoravimus auctores, qui de iiſdem loquuntur.

In libro, qui inſcribitur: Chriſtianarum familiarum Pædagogus ampliſſima occurrit admonitio ad ea evitanda flagitia, quæ bacchanalium diebus committuntur.

Liber, cui titulus. *Bellum vitiis*, prælio quinto contra licentiam, mala, quæ hæc gignit, oſtendit, quæ facile ad bacchanalia transferri poſſunt, ubi longe ſunt pernicioſiora.

In homiliis S. Chryſoſtomi in S. Matthæum c. 11. exhortatione 2. adeſt invectiva contra turpia, & criminoſa ſolatia, quæ non longe ab illis abludunt, quæ in bacchanalibus, præcipue vero propter larvas, atque perſonas videntur.

Joly in mixtis Operibus ſermonem habet de modo ſancte bacchanalia traducendi. Concionatores.

Idem *tom.* 2. *Propoſ.* in Quinquageſimæ Dominica alterum habet contra temporis hujus libidines.

P. de la Colombiere Tomo 3. habet quatuor deinceps ſermones de extremis bacchanalium diebus, qui tamen diverſorum ſunt argumentorum, & qui alio quovis tempore prædicari poſſunt.

Auctor ſermonum Chriſtianorum ſermone pro Quinquageſima loquitur de tribus præcipuis flagitiis, quæ paſſim hoc tempore graſſantur.

Auctor ſermonum moralium in eamdem Dominicam oſtendit, his tenebrarum diebus Domini Paſſionem iterari.

Abbas de Monmorel tomo 1. habet homiliam, & ſermonem in hanc eamdem Dominicam.

In Dictionario Morali tomo 1. plures habes de bacchanalibus conciones cum pluribus animadverſionibus de hujus temporis libidinibus, atque flagitiis.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta tomo 2. particularium ſermonum de bacchanalibus ſermonem habet; ubi & alium de intemperantia, & in conviviis exceſſu, alium etiam de ludis, & alium de ſpectaculis, choreis, atque comœdiis.

In Titulo de ſolatiis generatim videri poſſunt, qui hac de re egerunt, uti etiam in titulo de ſcandalo; nullum enim tempus eſt, in quo ſcandala vel frequentiora ſint, vel periculoſiora.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes ſcripturarum huic argumento.

NON *ſequeris turbam ad faciendum malum.* Exodo 23.

Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Exod. 32.

Quaſi de induſtria receſſerunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt. Jobi 34.

Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Pſal. 48.

Fiat via illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. Pſalm. 34.

Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Pſalm. 118.

Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Si dixerint: Veni nobiſcum .... ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum a ſemitis eorum. Prov. 1.

Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Prov. 2.

Poſt concupiſcentias tuas non eas. Eccli. 18.

Extrema gaudii luctus occupat. Prov. 14.

Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis? Eccleſ. 2.

Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Sapient. 5.

Væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis ejus. Iſaiæ 28.

Domine aperi oculos iſtorum, ut videant. 4. Reg. cap. 6.

Hæc eſt gens, quæ non audivit vocem Domini Dei *ſui,*

ſui, nec recepit diſciplinam: periit fides, & ablata eſt de ore eorum. Jerem. 7.

Ceſſare faciam omne gaudium ejus, ſolemnitatem ejus. Oſee 2.

Maledictum, & mendacium, & furtum, & adulterium inundaverunt. Oſee 4.

Væ vobis, qui ridetis nunc. Luc. 6.

Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Luc. 22.

Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem. Matth. 7.

Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam. Ad Roman. 1.

Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Ibid.

Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Ad Rom. 6.

Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium. 2. ad Corinth. 4.

Nolite jugum ducere cum infidelibus. 2. ad Corinth. 6.

Ut impleant peccata ſua ſemper, pervenit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem. 1. ad Theſ. 2.

Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti: quorum finis interitus: quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum. Ad Philipp. 3.

Fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem. 2. Petri 1.

Juxta proprias concupiſcentias ambulantes. 2. Petri 3.

Secundum deſideria ſua ambulantes. In Epiſt. Judæ.

Scito quod in medio laqueorum ingrederis. Eccli. 9.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deprompta.

Tenebræ Ægypti ſunt earum figura quæ per hæc bacchanalia inter fideles graſſantur.

NON poſtrema ſane, vel minus terribilis plaga, qua Deus olim Ægyptum percuſſerit, procul dubio fuit horrentes illæ tenebræ, quæ triduo incubuerunt, adeo denſæ ut palpabiles eſſent, adeoque obſcuræ, ut Ægyptii ſeſe mutuo dignoſcere, vel loco movere non poſſent; adeo tandem horribiles, ut aſtra quælibet laborare, totaque natura profunda noctis caligine inſepulta videretur. Nonne diceres hoc tenebrarum triduum, quæ ſemel tantum, ac dum idolorum cultus vigebat, incubuerunt, modo quotannis inter Jeſu Chriſti fideles refloreſcere? Quid enim aliud de hac libidinum omnium tempeſtate ſentiendum eſt? Quod nomen aptius tribus hiſce diebus convenit, quibus tantam Dei oblivionem videmus, tantamque in pleriſque mortalibus cæcitatem? Quid ergo? numquid neceſſe eſt, ut ſcelera quoque ſuum habeant tempus, impietas regnum ſuum, atque vitium viciſſim, & virtus ſubinde vices ſuas obeant, & quemadmodum noctes, dieſque totum vitæ noſtræ ſpatium partiuntur, gratia quoque & peccatum ſimiliter ſibi anni tempeſtates dividant? *Ex Auctore ſermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta, ſermone in Quinquageſima.*

Bacchanalium flagitia divinæ juſtitiæ ſupplicia merentur; ut ea, quæ tempore diluvii patrabantur.

Dubitandum non eſt, quominus ſcelerum, quæ bacchanalium tempore perpetrantur, multitudo ſimul atque enormitas Dei iram promereantur, & mala, quibus urbes, & regna obſidentur, bella, fames, ac meſſium inopia, effectus ſint ultionis Domini, alio tempore eas punientes iniquitates, quæ alio patrantur. Profecto ſcelerum diluvium diluvio malorum puniendum eſt & jure poſſet Deus mundum prorſus novum efficere, uti fecit temporibus Noe; niſi jurejurando repetiiſſet ſe non ultra univerſali cataclyſmo terras obruturum. Et ſane homines per hoc dies ſuis deſtinatos ſolatiis aliam fortaſſe vitam ducunt, quam quæ antedeluvianis temporibus ducebatur? Eorum temporum nequitiam paucis Scriptura Gen. 6. deſcribit, dicens, quod *Omnis caro corruperat viam ſuam;* hoc eſt morum corruptio univerſalis erat inter homines, ingens erat ubique oblivio Dei; ſinguli ſuis voluptatibus indulgebant, ubique ludi, convivia, ſolatia videbantur, nec quiſquam earum rerum, quæ turpiſſimæ ſunt, pudore ſuffundebatur; verbo homines penitus deformaverunt in ſe divinitatis imaginem ſuo vivendi genere, quod flagitioſiſſimum erat, atque impudentiſſimum. Neſcio utrum illa deſcribens tempora noſtræ hujus ætatis, præſertim vero horum dierum videat flagitia deſcribere, cum modo ad exceſſum uſque procaciſſima mortalium licentia evaſiſſe videatur. Quid enim aliud hoc tempore cernimus præter ludos, convivia, ſpectacula, effuſas libidines, ſ[illegible], quæ omnem Chriſtianiſmi faciem immutare videntur, cum qui in omnem licentiam magis effrænes ſunt, ipſam etiam hominis relinquant ſpeciem, ut brutorum imaginem induant, quæ profecto propter morum ſimilitudinem illis optime quadrat? Cum autem tempora, & mores ſimiles ſint, mirum ne debet eſſe, ſi divina detonat ultio, & innocuos etiam cum nocentibus eodem involvit ſupplicio, quemadmodum Noetici temporibus quamplurimi interiere parvuli, quibus aliena ſcelera imputari non poterant.

Ratio, qua averti poſſunt mala, quæ tempore hujus flagitia pertrahere conſueverunt, Sanctum Tobiam imitari.

Ad avertenda mala, quibus divina Juſtitia ulciſci ea crimina conſuevit, quæ hoc tempore plurima fiunt, imitari oportet Tobiæ ſanctiſſimi viri exemplum, qui, quin cum aliis pergerent aureis vitulis, quos poſuerat Jeroboam, thus adoleturus, Jeroſolymam ſe conferebant, ut Deo vero ſacra faceret; atque per ipſum captivitatis ſuæ tempus, cum contribules ſui Ethnicis commixti eorum conviviis intererant, vetitiſque dapibus veſcebantur, ſanctus ille vir charitatis operibus vacabat, pauperibus ferebat opem, illos conſolabatur, concives hortabatur ſuos, ut fideles Domini permanerent, & conſtans in legis ſuæ obſervantia perſiſtebat; ita ut ab adoleſcentia, ut Scriptura teſtatur, nullum in ipſo deprehendi potuerit veſtigium levitatis, vel animi ad licentiam, pravoſque ſodalium ſuorum mores propenſi. Ad hoc exemplum verus Chriſtianus nunc temporis ſeipſum formare debet. Donec alii catervatim ad ludos, & ſpectacula confluunt; majori cum modeſtia, verecundia, pietate, vivere debet; plura bona opera facere, & verbo eo majori zelo, ac fervore Dei ſervitio inhærere, quo magis illum a flagitioſis deſeri, atque deſtitui cognoſcit.

Chriſtiani hodie id faciunt, quod olim Apoſtoli, qui non intellexerunt quid Salvator diceret de ſua morte, ac Paſſione locutus.

Qui paulisper animo reputat, quod fecerint Apoſtoli, quibus Salvator imminentem ſibi mortem prænuntiavit, non admirari non poteſt eorum vel cæcitatem, vel ignaviam cum illis palam, ut eſt in Evangelio, *Lucæ* 18. prædixit; *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur; & poſtquam flagellaverint, occident eum.* Quis non putaret, hos Diſcipulos, quibus adeo cordi erat optimi præceptoris ſui gloria, ſtatim ſolicite, ac feſtinanter ex eo quæſituros fuiſſe omnes adeo tragiti caſus circumſtantias, & quo pacto honori illius, atque incolumitati conſulere poſſent? At e contra oſcitantes audiunt, quin ne moveantur quidem quidquid de Paſſione ſua Jeſus Chriſtus enarrat; & Evangeliſta teſtatur illos nihil intellexiſſe eorum, quæ ſibi dicebantur; verba ejus illis abdita fuiſſe tamquam myſteria, quorum ne verbum quidem aſſequebantur. Mira quidem hæc cæcitas, & incuria eſt, non diffiteor: ſed fideles ſimilis ignavia ſopiti videntur. Illis dicitur, hiſce bacchanalium diebus Jeſum Chriſtum aſcendere Jeroſolymam, atque propter peccata, quæ hoc tempore ab ipſis patrantur, iterum filio Dei necem inferri, & dolorem illius refricari. At alii ne intelligunt quidem, quid ſibi dicatur, alii ne animum quidem advertunt; nemo his movetur; & quod magis deplorabile eſt, licet Evangelici præcones hanc veritatem prædicent, homines nefarii, quin moveantur, fiunt miniſtri mortis filii Dei, quam inſtaurant ſceleribus, quæ impune committunt, & flagitiis, quibus ſe mancipant.

A Deo hoc tempore petere debemus, quod cæcus Evangelicus: Domine, ut videam.

Jeſus ex cæco quæſivit, ut eſt in Evangelio. Luc. 18. *Quid tibi vis faciam?* cæcus vero reſpondit: *Domine, ut videam.* Ita cæcus orabat Jeſum Chriſtum oculorum uſum recepturus quo plurimos annos caruerat. Orationem hanc pii homines uſurpare nunc temporis debent pro tot infelicibus animabus, quas libidines, affectuumque perturbationes ſpiritualiter excæcant hiſce tenebrarum diebus, quibus rationis, fidei, & religionis lumina pleriſque fidelibus extincta eſſe videntur.

Quorumdam locorum Applicationes.

Monita ſalutaria, quæ nobis tradit Apoſtolus, numquam magis quam hoc tempore neceſſaria.

VIdete fratres, quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus quoniam dies mali ſunt. Ad Epheſ. 5. Spectaſſe videtur Apoſtolus temporis hujus fideles, cum Epheſiis hoc monitum tradidit, ut ſedulo caverent, quomodo ſolatiis ſeſe abderent. Quinam enim dies ſunt, quos malos vocat, niſi illi, quibus ingentia committuntur mala, quemadmodum domus mala, & ampia vocatur, cum illam incolentes mali ſunt, atque impii. Apoſtolus autem hiſce malis diebus duo exigit: primum ut ſibimet invigilent, uti prudentes decet viros ab omnibus abhorrentes periculis, quibus alii per imprudentiam ſe objiciunt; alterum vero ut redimant tempus, quod alii perdunt, vel in peccatis impendunt. Quod ad primum pertinet conſilium quid aptius ſuadere poterat hoc malo tempore, quam ut nobiſmetipſis diligentiſſime proſpiceremus? *Videte quomodo caute ambuletis.* Mirum enim eſt, quod hodierni Chriſtiani numquam minus vigilantes ſint, quam his diebus, quibus majora impendent pericula; nunc enim magis effrenata furunt licentia, plurima negligunt,

quæ ad ſua ſpectant officia, peccandi occaſiones ſunt frequentiores, flagitioſorum hominum exemplis majori vi pertrahuntur, eorumque ſollicitationibus validius urgentur: *Videte quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes.* Monitum alterum eſt, ut redimant tempus, quoniam dies mali ſunt. Scio equidem hæc verba variis in ſenſibus explicari; verum neque magis ſimplex, neque magis argumento noſtro appoſitus illis appingi ſenſus poteſt, quam ſi dicamus, tempus hoc redemptum iri, reparando, ut ita dicam pietate, boniſque operibus noſtris injuriam, quam mundi ſectatores criminibus ſuis inferunt Domino inter ludos, & aleas, inter compotationes, libidineſque. Hac mente Eccleſia fideles invitat, ut preces iterent ſuas, pluribus in locis indulgentiarum theſauros aperit, ſuper aras adorabile Salvatoris Corpus exponit; de ſuggeſtibus Dei verbum annuntiari jubet; nihilque intentatum relinquit, ut a fidelibus redimatur tempus; quod a procacibus, juſtoque ſolutioribus hominibus in noxiis oblectamentis prodigitur. *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.*

Hoc potiſſimum tempore animæ piæ Deo fidelitatem ſuam teſtatam facere debent.

Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Luc. 22. Hæc verba ſunt conſolatoria, quæ Jeſus Chriſtus olim ſuis diſcipulis inquit qui teſtati fuerant ſuam erga ipſum fidem, cum generatim ferme ab omnibus hominibus derelinqueretur; ſed hoc præſertim tempore mereri poſſumus, ut aliquando iſtud audiamus præclarum fidei noſtræ teſtimonium ex ore ejuſdem Filii Dei, qui numquam magis deſeritur, & exagitatur, quam per hoſce bacchanalium dies. Et ſane quandonam, fideles animæ, veſtrum illi teſtabimini amorem, niſi hac in occaſione fiat? Quandonam illi fideles eritis, niſi cum a mortalibus omnibus derelinquitur? In neceſſitatibus, ſimilibuſque occaſionibus, noſtram erga amicos fidem probamus, eiſque certiſſime ſinceræ, veræque neceſſitudinis præbemus indicia. Ne dubitetis, animæ Chriſtianæ, ne erga vos ſe æque gratum, & generoſum oſtendat, vobiſque hæc eadem verba dicat: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum . . . . Et diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum.* Luc. 22.

Bacchanalium tempore fit innundatio vitiorum.

Maledictum, & mendacium, & furtum, & adulterium innundaverunt. Oſee 4. Hæc Prophetæ verba numquam magis vera fuerunt, quam hiſce effuſiorum libidinum, procacioriſque licentiæ diebus: aliis anni tempeſtatibus otium, mollities, intemperantia, impudicitia, aliaque vitia quodammodo in peccatorum corde ſepulta ſunt, & deliteſcunt; ſed per hoſce dies impudentiſſime debacchantur, tamquam torrens qui collectis jam pridem aquis tumidus tandem aggeres, & valla perrumpit, omniaque longe; lateque inundat; ita corruptio, quæ in peccatorum corde latebat ſeſe effundit, ac univerſum orbem terrarum inficit. Nihil videtur uſpiam niſi ludi, aleæ, convivia, prophana ſolatia, atque in his omnibus nihil niſi exceſſus, & impudentia? Homines inter ſe certare videntur, quis prior ſit rationis, rectique ſenſus jacturam facturus.

Hoc præſertim tempore fidelis in Filii Dei partes concedere debet, & peccatorum flagitiis ſeſe opponere.

Qui non eſt mecum contra me eſt. Luc. 11. Quemadmodum hoc potiſſimum tempore quam alio quovis, peccatores Filio Dei bellum videntur inferre, & maxime exiguus eſt fidelium ejuſdem ſervorum numerus, quos illis objiciat; ejus legatione perfungens vos etiam, atque etiam horror, ut in partes ipſius concedatis, atque affirmo hac potiſſimum occaſione illum jure dicere, eum, qui cum ipſo non eſt, contra eundem eſſe; mirum enim eſt, quot mortales, qui inter cæteros frugi, bonique videntur, hoc tempore ſe ab ejus devotionis uſu diſpenſent, quæ illis reliquo anni totius tempore familiaris eſt, atque ſolemnis. Diceres hoc eſſe quoddam veluti tributum temporis hujus nequitiæ; atque nunc reparandam eſſe vim illam, quam ſibi quiſque aliis anni temporibus infert: His autem diebus, hoc rebellionis tempore Dei filius pro ſe ſtantem habebit neminem, & ſervi illius ſæculi partes, veluti transfugæ, roborabunt non auſi pro eodem arma capeſſere? In tanta hac, & ferme generali contra eumdem conjuratione numquid neuter aliquis eſſe poteſt? & nonne contra illum eſſe dicendus eſt, qui cum eodem non eſt?

Fideles non ſentiunt ſe ſuis criminibus, eas inſtaurare contumelias, quibus Salvator a Judæis fuit affectus.

Ipſi nihil horum intellexerunt; erat enim verbum iſtud abſconditum ab eis; & non intelligebant, quæ dicebantur. Luc. 18. Poſtquam Dei filius Apoſtolis ſuis prædixit futurum ut proderetur, illuderetur, flagellis afficeretur, & crucifigeretur a Judæis; quid ille ſibi vellet, non intellexerunt. At non miror, ſi cogitare non poterant Judæos eo uſque ingratitudinis, & crudelitatis evaſuros eſſe, ut Salvatori ſuo mortem inferrent: hæc enim mors aliquid illis erat incomprehenſibile. At ſi Apoſtoli intelligere nequaquam poterant, Judæos adeo crudeles futuros, fateor equidem, non facilius comprehendi poſſe fidelium ſævitiam, & ingratitudinem, qui hoc tempore Salvatoris ejuſdem paſſiones inſtaurant ſceleribus ſuis atque flagitiis; neque enim ignorare poſſunt, quod Apoſtolus *ad Hebr. 6.* palam docet, hoc eſſe idem, ac iterum ſibimetipſis Dei filium crucifigere. Et profecto nonne captum omnem excedit, videre Chriſtianos, qui per Baptiſma pompis mundi, atque operibus Sathanæ abrenunciarunt; illos inquam videre palam exercentes, atque ſine metu, & verecundia id appetentes, quod ſolemni promiſſione abnegarunt, atque hoc pacto majorem Salvatori ſuo injuriam inferentes; quam eidem Judæi intulerint? &c.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

ERras homo, non ſunt hæc ludrica, ſed crimina; quis de impietate ludit? de ſacrilegio quis jocatur? quis piaculum dicit riſum? Satis ſe decipit qui ſic ſentit. Chryſoſtomus, Serm. 155.

Via perditions ſpatioſa, quia intra regulam diſciplinæ non incluſa. Idem.

Deprecanda eſt miſericordia Dei, ut donet intellectum ad iſta (ridicula & impia) damnanda, affectum ad fugienda, miſericordiam ad ignoſcenda. Auguſtinus.

Quid eſt aliud omnis cœtus malorum, quam ſentina vitiorum? Salvian. lib. 3. de Gubernat.

An forte infructuoſum putamus gaudium ſimplex, nec delectat ridere ſine crimine? Idem ibid. lib. 6.

Latam viam non quærimus, non inventione opus eſt, ſponte ſe offert & errantium via eſt. Hieron. in cap. 7. Matthæi.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, veritatem ſe, non conſuetudinem nominavit. Tertull. lib. de veland. Virg.

Non eſt per temulentiam aditus ad jejunium, nec ad juſtitiam iter per fraudem, nec ad ſobrietatem per laſciviam. Baſilius, Homil. 1. de laude jejunii.

Conſenſere jura peccatis, & cœpit licitum eſſe quod publicum eſt. Cyprian. Epiſt. ad Donat.

Sanitatis patrocinium, inſanientium turba eſt. Auguſt. lib. 6. de Civit.

Non prævaleat Evangelio neque privilegium nationum, neque patrocinium perſonarum. Tertull. lib. de veland. Virg.

Væ tibi flumen moris humani, quis reſiſtit tibi, quamdiu non ſiccaberis? Auguſt. lib. 1. Confeſſ. cap. 16.

Attendis quid alius faciat, non quod Deus te facere jubeat; metiris te comparatione pejoris, non vita melioris. Bernard.

Debet nos judicium veritatis ducere, non privilegium conſuetudinis. Idem.

Invadens omnia conſuetudo pro lege obſervatur. Auguſt. lib. de decem chordis, cap. 4.

Peccata, quamvis magna & horrenda, cum in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur. Idem, l. de fide ſpe, & charitate.

Libebat malum facere, non ſolum libidine facti, ſed etiam laudis. Idem, lib. 2. Confeſſ. c. 9.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu in hoc argumento depromi poſſit.

Quodnam tempus bacchanalia vocetur.

BAcchanalia tempus eſt, quod præcedit Quadrageſimam, quod in conviviis, ludis, prophaniſque cujuslibet generis oblectamentis traduci conſuevit; Ethnicæ religionis reliquiæ, quæ per morum corruptionem ad hæc uſque tempora viguere, & quas Eccleſia, quæ illas quotannis deflet, nondum potuit abolere; quæ res excitare debet Concionatores, ut quotannis contra publica invehantur flagitia, quæ infeliciſſimis hiſce diebus patrantur, ut fideles deterreantur a ſpectaculis, effuſis libidinibus, & procaci licentia, quam hoc anni tempore ſummi æque ac imi facile uſurpant.

Quid ſit morum licentia.

Morum licentia, de qua hic ſermo eſt per occaſionem bacchanalium, differt a licentia fidei, de qua in primo tomo ſermo fuit, titulo de Atheiſmo, ubi de illis, qui in iis, quæ credenda ſunt, liberiores ſe jactitant, loqueremur. Licentia, de qua hic ſermo, vita eſt prorſus flagitioſa, omni vitiorum generi, & effuſiſſimis libidinibus mancipata ſine Dei metu, nulla honeſtatis, religionis, aut valetudinis habita ratione: vita denique qualem ducunt quamplurimi adoleſcentes, qui otioſi, ac juris ſui facti ſeſe tradunt cordis ſui deſideriis, ut Propheta loquitur, atque totum hoc tempus in aperta licentia traducunt.

Nullus du[illegible]

Qui vel parum religionis habet, ſeſe continere

bio locus eſt quominus religio condemnet mundana bacchanalium ſolatia.

non poteſt, quominus vituperet, atque damnet exceſſum libidinum, prophanorumque ſolatiorum, quibus paſſim bacchanalium tempore mortales indulgent; ignorare quippe non poteſt illa ab Evangelio damnari; ſed hac in re, non ſecus atque in aliis longe plurimis ad morum diſciplinam ſpectantibus ſe quiſque fallit; eorum, qui ſeipſos æque decipiunt, numerus, & qualitas, quamdam auctoritatis ſpeciem conſtituit, quæ illis etiam atque etiam hunc errorem commendat; & ſtatim ac error iſte placuerit, illico amatur, ac retinetur. At quodnam meritum bacchanalium tempus iis confert ſolatiis, quæ alio quovis tempore illicita ſunt, & quæ nos ipſi damnamus? Quodnam privilegium habent hi dies, qui carnis privium præcedunt, ut id probetur, quod alio quovis tempore improbatur? Licerene poteſt inter fideles feſtos Ethnicorum ludos inſtaurare; fidelium profeſſionem mundanis voluptatibus dedecorare, & has in trophæum veluti quoddam erigere?

Religioni contrarium eſt credere adeſſe tempus mundi ſolatiis præſcriptum.

De fide eſt, mundum irreconciliabilem eſſe Dei inimicum: quomodo ergo cenſeri poteſt aliquod adeſſe tempus, quo citra ſcelus cæce noſmet tradere omnibus mundi oblectamentis poſſimus? Tempus, quo mundum amare liceat, cique ſoli ſervire? Quis vendicare audeat dogma adeo fidei, rectoque ſenſui contrarium? Hanc tamen ſententiam vulgo ſequuntur homines: adeo verum eſt, neceſſario in quamdam inſaniæ ſpeciem impingere, qui ratione uti, & Chriſtiano more vitam ducere ceſſat.

Utrum mortale peccatum ſit conſuetis hujus temporis oblectamentis indulgere.

Hoc tempore quæſtio ſolet inſtitui; utrum bacchanalium oblectamenta totidem ſint peccata mortalia. Quæcumque difficultas adſit hac in re aliquid ſtatuendi, quia non omnia hujus temporis ſolatia ejuſdem naturæ, generiſque ſunt, cum alia quidem omnino nefaria ſunt, & cum ſcandalo conjuncta, alia vero proximæ occaſiones peccandi, & nonnulla crimine vacare poſſint, atque non hac magis anni tempeſtate crimina, quam alia prohibeantur; generatim nihilominus dici poteſt. 1. Si hujuſmodi ſolatio proximæ ſunt lapſus occaſiones, vel illud nos in apertum peccandi periculum objicit, quod ipſa docet experientia, illa proculdubio totidem ſunt mortalia peccata. 2. Quædam ita eſſe periculoſa, & fere ſemper cum aliquo ſcandalo conjuncta, ut a peccato excuſari non poſſint; cujus generis ſunt choreæ, nocturni cœtus, ubi permittitur, & ſæpe etiam accipitur licentia quædam juſto ſolutior, & procacior. 3. Quæcumque adhibeatur diligentia ad periculum evitandum, quod in aliis ſolatiis invenitur, dici poſſe, ibi magnam ſemper adeſſe noxam, ubi immodicus eorum fuerit exceſſus; non ſecus ac in conviviis, in quibus ultra modum aliquis ſeſe dapibus, & mero proluit: quod dicendum eſt de aliis omnibus voluptatibus, quibus indulgent homines hoc tempore, quod ideo effuſioris licentiæ tempus vocatur: quia nihil niſi exceſſus rebus in omnibus videtur, exceſſus in veſtibus, exceſſus in ſumptibus, qui propter choreas fiunt, exceſſus in ludis, exceſſus in conviviis, ita ut in iis omnibus, quæ hoc tempore fiunt, culpa non deſit.

Conſuetudo excuſare non poteſt hujus temporis flagitia.

Fruſtra conſuetudo ad probanda mala, quæ hoc tempore fiunt, ſolet adferri; hæc enim conſuetudo nonniſi damnare poteſt eos, qui iiſdem ſe mancipant; hoc enim eſt cum majori cognitione peccare, & cum voluntate in malum magis determinate delinquere; ii quippe, qui ea mala mittunt, velle videntur ſeſe in tranquilla Deum lædendi poſſeſſione ſtatuere, dictis, factiſque profitentes omnia bacchanalium tempore fas eſſe, quin illud attendant, quod Propheta dicit: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.*

Hoc tempore viri boni majorem gratiæ copiam mereri poſſunt.

Conſtans in Scripturis eſt veritas, Deum non ſolum in hac vita peccatores punire gratiarum ſuarum ſubtractione; verum etiam eas, quas aliis ſubtrahit, ad alios transferre, qui iiſdem melius utuntur, & qui fidelius eidem famulantur. Hæc autem veritas hiſce bacchanalium diebus fideles excitare debet, ut a mundi ſectatorum cœtu ſecedentes, atque pietatis exercitationibus vacantes, dum interim alii nefariam, improbamque vitam ſequuntur, gratias omnes, quas Deus aliis ſubtrahit, ipſi, ut ita dicam, in receſſu, & pietatis operibus verſantes promereantur; ita ut dies iſti, qui pro aliis ſunt dies tenebrarum, pro ipſis fiant dies ſalutis, atque tempus acceptabile; dies ubertatis, & meſſis; & ſæpe contigit, ut plurimis peccatorum ſuorum, atque reprobationis ſuæ menſuram explentibus, alii fidelitate ac fervore in cultu Dei, qui infeliciſſimis hiſce diebus ab omnibus fere deſeritur, in tuto locaverint ſalutem ſuam, atque ſuæ prædeſtinatione proſpexerint.

Quantumvis modicum licentia ſibi aliquis hoc tempore vindicet,

Notandum eſt, quantumvis modicum licentiæ hoc effuſiorum libidinum tempore ſibi aliquis vindicet, hunc non ita ſui compotem, ſuique juris eſſe, ut certos ſibi cancellos valeat ſtatuere: & quemcumque modum ſibi ſervandum proponat, ſemper longius, quam quod arbitrabatur, procedere.

difficile eſt modum ſervare.

Gradus ille nimis lubricus eſt, ita ut intra fines a Chriſtiana lege præſcriptos ſeipſum valeat continere; ac ſeipſum ignorat, qui putat futurum ut reſiſtere poſſit exemplo, ſollicitationibus, ac tentationibus, quæ ſeſe illi offerent, ubi ſemel incœperit. Ideo ad evitandum periculum, toto cœlo tutius, ac facilius eſt omnia ſibi hujus temporis ſolatia interdicere ſapienti, ac pio receſſu; quam ſperare futurum ut reſiſtere poſſit precibus amicorum, ſodaliumque, qui vim facere non ceſſabunt; & credere ſatis virium non defuturum, ut ſeſe intra ſtatos fines coerceat, atque modum tueatur?

Nuſquam majus quam hoc tempore adeſt periculum in cæcitatem decidendi.

Cæcitas mentis proculdubio maximum eſt ſupplicium, quo Deus in hac vita homines ſe percuſſurum, minitetur: *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, & palpes in meridie.* Deut. 28. Supplicium, quod licet non ita ſentiatur, uti bonorum, valetudinis, vitæque jactura, non ideo minus metuendum eſt, quatenus ſeveriores ultionis, ac magis terribilis iræ effectus. Verum liquido conſtat, peccatores numquam in majori, quam hoc tempore, cæcitatis periculo verſari, quoniam omnia ad graviſſimum hoc malum videntur impellere, & jam fere cæcus eſt, qui illud non videt, nec metuit. Et ſane hoc tempore effrænatæ libidinis, mundanorumque ſolatiorum Deus majori cum contemtu, & contumelia relinquitur; nunc gloriæ ſibi vertunt homines ea committere, quorum alia quavis tempeſtate illos puderet; nunc in partes inimici ejuſdem apertius transfugiunt, eique bellum inferre non erubeſcunt; nunc denique quadam apoſtaſiæ ſpecie illius cultui, nominique Chriſtiano abrenunciant. Deus igitur nihil minus efficere poſſe videtur, quam ſuas gratias, ſuamque præſidium peccatoribus iſtis ſubtrahere, eoſque propriis tradere deſideriis, quæ nonniſi triſtiſſimam cæcitatem gignere poſſunt.

Hoc effrænatæ licentiæ tempore fidelis tenetur magis fidelitatem ſuam Deo teſtatam facere.

Hoc nobis perſuaſum eſſe debet, ſalutem, vel reprobationem noſtram fortaſſe pendere ab ea vivendi ratione, quam hac tempeſtate ſervabimus; hoc enim præſertim tempore Deus poſtulat, ut ſibi conſtantius fidelis adhæreat; nunc enim apertius a ſuis derelinquitur, & ab hoſtibus læditur; & nos inſignius eidem amoris noſtri præbere poſſumus teſtimonium, propter amorem illius ab iis abhorrentes, quæ alii tantopere quærunt. Præterquam quod in vehementioribus oppugnationibus, & ſollicitationibus, quibus hoſtis fidem noſtram labefactare conatur, ut nos ab officio deterreat, majorem Deo fidem teſtari debemus, ac omni niſu contendere, ut contra hunc iniquitatis torrentem obluctemur invicti.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus locis hujus Argumenti.

Malum, & perturbatio quam in fidelibus gignunt bacchanalium ſolatia.

QUam merito deflet Eccleſia bacchanalium detrimenta, quoniam hiſce effrenatæ licentiæ, effuſiorumque in omni intemperantia libidinum diebus Chriſtianiſmi facies prorſus immutata videtur, & excepto exiguo fidelium numero, qui genua minime flectunt Baal, eorum plerique, qui ſe Chriſtianos dicunt, vitam prorſus Ethnicam ducunt! Et profecto quodnam diſcrimen intereſt inter primorum temporum, hodiernoſque fideles? Tertullianus teſtatur illos numquam in circum prodiiſſe, illos a theatris, publiciſque ſpectaculis ſemper abfuiſſe, numquam vel floribus redimitos, vel purpura indutos viſos fuiſſe; immutabilem in ſtatibus omnibus viguiſſe modeſtiam, nullum apud ipſos anni tempus voluptatibus fuiſſe deſtinatum, eorum ſolatia ſemper honeſta, & pura; totidem fuiſſe virtutum, & officiorum præcepta; verbo, illos quovis tempore Chriſtianos fuiſſe. Verum enim vero in noſtri hujuſce temporis fidelibus, præſertim vero diebus illis, qui ſolatiis, & bacchanalium feriarum licentiæ deſtinati ſunt, videturne illa adeo chriſtiana modeſtia, & verecundia? Vel potius quid illi magis abnorme, oppoſitumque fingi poteſt, quam choreæ, ſaltationes, convivia, larvæ, aliaque id genus ſolatia, quæ primi fideles in Ethnicis quoque damnabant, tamquam aperta corruptorum morum, fallaciſque religionis eorum indicia? Quid Ethnicis reddere poſſemus, ſi dicerent a nobis hoc tempore id fieri, quod ipſi in Saturni, & Bacchi feſtis diebus facere conſueverant? Iidem exceſſus, eædem crapulæ, eædem libidines, eadem ſolatia. Licentia publica eſt, neque minus effrænata. Nonne hoc eſt Ethnicæ religionis revocare tempus, & quod ad morum diſciplinam pertinet, Chriſtianiſmi faciem immutare? Humanæ ſalutis inimicus idololatriæ tempore ſuperbus imperio, quod in omnium corda obtinebat, ſibi primos cujuslibet anni dies dicatos volebat; cuinam alteri cauſæ acceptam referre debemus inſtitutionem, & nequiſſimam bacchanalium noſtri hujus temporis conſuetudinem. *Deſumptum majori ex parte ex ſpiritualibus conſiderationibus Pater Croiſet.*

Bacchanalium exceſſus probari non poſſunt ſub frequenti Carniſprivii jejunio.

Quis chordatus nimis libera bacchanalium ſolatia probare auderet propter propinquitatem dierum pœnitentiæ, qui ſubſequuntur? Dicetne, omnes ſe ſenſibus ſuis laxare habenas, quia primo quadrageſimæ die pœnitentiam acturus eſt earum rerum, quæ ſibi licere voluerit? Se omnibus mundi hujus voluptatibus, ſexcentiſque parum Chriſtianis, ac honeſtis parum ſolatiis vacare, quia non multo poſt jejunandum eſt? Quadrageſimali tempore deſlenda erant peccata; in anteceſſum ergo fletus iſti reparandi ſunt effuſa in omni intemperantia libidine. Intra paucos dies jejunium indicet Eccleſia; hoc igitur jejunium crapulis, ganeiſque prævertendum eſt. Quamprimum concionatores oſtendent hæc omnia bacchanalium oblectamenta eſſe Chriſtiano nomine indigna; pro virili ergo adnitamur, ut nos hujuſmodi exprobrationibus dignos præbeamus. Pœnitentia nobis prædicabitur; nihil igitur prætermittamus, ut eadem magis indigeamus. Nemo non ſentit, quam ridicula hæc ſit argumentatio; quandonam ſentietur hujus vivendi rationis indignitas? Nemo ita impudens, perfrictæque frontis erit, qui bacchanalium ſolatia ita vellet probare; hoc tamen ſignificant ea, quæ ad eorumdem probandam conſuetudinem afferuntur. Heu! numquid Chriſtiani erimus tantum oris invenuſta quadam compoſitione, & pro temporum varietate? Numquid res mimica eſt religio noſtra? Hodie quidem in omni libidinum genere effuſi, cras vero propter decorum hypocritæ. Quædam externa religionis ſpecies Ethnicas diſſolutiones excipiet, & eumdem colentes Deum, eamdem legem habentes, eadem metuentes ſupplicia bacchanalium, & Quadrageſimæ tempore, honori nobis vertemus hoc tempore facere, quidquid divinæ legi oppoſitum eſt, alio vero omnibus articulis ejus applaudere? Fierine poteſt, quod adeo craſſa dementia ab omnibus non deprehendatur? Quis umquam, dummodo vel levis aliqua religionis, ne dicam rationis ſpecies adſit, in hunc errorem poteſt impingere? *Idem.*

Ridiculum eſt quærere, utrum malum ſit, omnibus bacchanalium ſolatiis indulgere.

Quærunt quid mali in omnibus bacchanalium voluptatibus adſit. Heu! quod immo illic malum non adeſt? Quæ innocentia tot laqueis reſiſtere poteſt? quæ virtus tot hoſtibus oppugnata victoriam referre? Tempus igitur bacchanaliorum illud erit, quo homines ſeſe omnibus ſuis tradent cupiditatibus, quo citra metum ſeſe ſexcentis objicient periculis, quo palam vitiis omnibus litabunt. Quid ergo? Chriſtiani nomen, quod gerimus adeo ne abjectum eſt, & contemptibile, ut nulla decorari poſſit actione, quantumvis illa indecora ſit, & inſana? Fierine poteſt, ut nullum ſit decorum eo in ſtatu, qui nos Dei filios per adoptionem conſtituit? *Idem.*

Mala, quæ bacchanalium tempore fiunt.

Quærere quid mali ſit, iis oblectamentis vacare, quæ bacchanalia ſuppeditant, idem eſt ac quærere quid mali ſit, apud fideles pleroſque Ethnicorum dies feſtos inſtaurare; Chriſtiani nominis dignitatem quolibet voluptatum genere dedecorare, eaſque in tropheum quodammodo erigere. Quid mali eſt alienam induere perſonam, ne ullius rei pudore ſuffundamur? Quid mali meliorem diei partem in ludis, & aleis, totam vero ferme noctem in choreis, ac ſaltationibus traducere; oculos laſcivis tantum, & illecebroſis objectis paſcere; non alium Deum præter voluptatem, neque alium Dominum præter cupiditatem agnoſcere; ſeſe in flagitioſorum hominum caterva commiſcere; ſenſus ſine verecundia, cor ſine cuſtodia, mentem ſine moderatione circumferre; omnibus voluptuariis cœtibus intereſſe; numquam deeſſe iis, quæ in urbe flagitioſiſſime fiunt; etenim bacchanalium tempore ex quonam alio mortalium genere coaleſcere poſſunt cœtus adeo liberi, atque plerumque nocturni? Ibi ne ullus vir bonus invenitur? Quam mirum eſſet, ſi inveniretur? Quibus ille irriſionibus, atque dicteriis ſeſe objiceret? Egregia ſane ratio, quæ palam oſtendit, cujus farinæ ſint homines, qui in hujuſmodi cœtibus adſunt; & poſt hæc quæritur adhuc, quid mali ſit in bacchanalium ſolatiis? *Idem.*

Deſcriptio malorum, quæ eo tempore videntur.

Quid? quinque vel ſex horas in facie fuco linienda, cæſarieque componenda tranſigere, ut inde in virorum cœtum tranſitus fiat ad laqueos eorum caſtitati locandos, & præferendam Dæmoni facem, qua ubique impudicitiæ flamma accendatur; integras noctes patere oculis, & illecebroſis verborum blanditiis eorum, qui in civitate ſunt perditiſſimi; nihil prætermittere eorum, quæ in arte, ac natura periculoſiſſima ſunt ad alienos oculos in ſe convertendos, & corda ſeducenda; perſonam, ſexumque mentiri, ut gratiæ auferatur modicum illud ſubſidii, quod in noſtris invenit veſtimentis; de una in aliam urbis regionem migrare ſub theatrica larva; ſatis non putare inutilia, ineptaque verba, verum ea etiam proferre, quæ non ſine ingenti ſcandalo proferuntur, quibus vocabulis adeo procax licentia poterit excuſari? Mundi ſpiritus, intemperantia in conviviis, exceſſus in aleis, cœtus voluptuarii, numquid minus bacchanalium tempore damnati ſunt, quam Carniſprivii? Vitium numquid minus vitium hoc tempore, quam illo eſt? Ubinam in Evangelio reperies, quoſdam in anno dies eſſe, ubi præceptum Chriſtiano more vivendi, puram, integramque vitam ducendi minus quam alio quolibet obliget? *Idem.*

Quid Ethnicus jurare poſſet de religione noſtra, ſi poſt bacchanalia cinerum cæremoniæ intereſſet.

Quidnam cogitaret Ethnicus, qui cum bacchanalium tempore teſtis fuiſſet publicorum ſpectaculorum, mundanorum cœtuum, comeſſationum, nocturnorum ſolatiorum, & faſtus, quo majorem effuſioremque ars nullum excogitare valeat, biduo, vel triduo poſt noſtra ingrederetur templa, atque ad aras provolutos videret, ſub cineribus inclinare caput pleroſque illorum, quos aliquot ante horas vidiſſet choreas agentes, vel alteri cuipiam oblectationi vacantes? Videmus quid Ethnicus cogitaret; immo etiam, ut ille, cogitamus. At ſatis ne ſemper arbitrabimur ea damnare, quæ facere pergimus? Nonne hoc eſt religionem noſtram in ludibrium traducere, has palam perſonas ludere? Nonne hoc eſt ſanctiſſimis Eccleſiæ, & religionis ritibus fidem abrogare, adeo abnormem vivendi rationem ſectari? Pietatis ſimulatio plures prophanarum feſtivitatum dies excipit. *Idem.*

Quis in morte ſenſus erit de hujuſmodi ſolatiis, quæ tantopere deperimus.

Tempus erit, cum flagitioſi homines ſecum irati non ſine horrore damnabunt omnia hæc prophana ſolatia; verum tunc eritne amplius tempus? Tunc merito Ethnicorum ſolatiorum nomine bacchanalium gaudia nuncupata fuiſſe fatebuntur; tunc miniſtri Evangelici ſinceri, & parum blandientes, ſapientes fuiſſe dicent; tunc eorum virtus commendabitur, qui melius conſulti omnes hujuſmodi parum chriſtianos ludos interdixerint? tunc agnoſcent, mundi hujus placita non hoc magis, quam alio tempore fuiſſe permiſſa. Sed quam amara eſt pœnitentia, cum fructu caret, & ſpe? Immo neque adeo ſero ſolatia tam parum chriſtiana damnamus. Tumultus nequaquam æternum nobis ſtuporem immittit; adſunt rationis intervalla quædam, quæ quamtumvis in flagitioſo homine infirmata ſit, ſubinde tamen oſtendit earum rerum, quæ illi placent, nequitiam, & virus, quo faſcinatur. *Idem.*

Quænam mortalium omnium ſit cæcitas hoc tempore.

Quocumque vertamus oculos hiſce bacchanalium diebus, ubique ea flagitia videmus, quæ proculdubio ſtuporem nobis injicerent, niſi ea quodammodo conſuetudo probaſſet fere univerſalia efficiens. Et ſane ſi per compita, & plateas pertranſimus, quid ibi intuemur? Otioſos homines, quos non pudet ſuam oſtentare dementiam, atque impietatem ſub larva, ſimulatiſque indumentis; ſed qui ſuam turpitudinem, & infamiam celare non poſſunt, & illam ipſi quoque agnoſcerent, niſi popellus eorum inſaniæ applauderet. Ex publicis plateis ſi in privatas domos dilabimur, quid ibi niſi cæcitatem, atque flagitia videbimus? Illic cauſidicus, juriſque conſultus ſtudiorum ſuorum rationem, ac Magiſtratus juſtitiæ adminiſtrationem, quæ res illum Dei conſtituit imaginem in terris, relinquunt, & ludis tantum, turpibuſque voluptatibus vacant. Hic mercator aliquot dies negotiationis ſuæ curis, & opifex aliquot conſuetis laboribus horas ſurripientes, niſi avida lucri cupiditate voluptatum amore ſuperetur, id unum cogitant, quomodo præteritam triſtitiam in libidinum effuſiori licentia ſubmergant. Ubique videbitis Chriſtianas matronas, quæ aliquantiſper ſepoſita pietate, quam ipſarum propriam facit Eccleſia, dies integros abſumunt ſeſe inanibus curis, & calamiſtris ornantes, ut venuſtiores ad choreas, hilareſque cœtus prodeant. *Auctor Sermonum Chriſtianorum tomo 1. Sermone de Bacchalium ſolatiis.*

De perſonis & larvis quæ hoc tempore adhibentur.

Quod fideles derelictis hoc tempore naturæ gratiis, quæ illos a brutis diſtinguunt, atque viventem Creatoris efficiunt imaginem, his effuſioris licentiæ diebus per compita, plateaſque volitant ridiculis tecti indumentis; eo aliis jucundiores, quo magis monſtruoſi, & rationi oppoſiti, necnon ab humana natura, qua induti ſunt, abhorrentes? Quam vos ipſi, auditores, de hujuſmodi monſtris ideam concipitis? Cujus imaginem illos præſeferre arbitramini? Tu vero, Deus, inter tot inſaniæ argumenta tuamne cognoſcis imaginem? Poſſes quidem merito ex ſingulis horum quærere, quod in terreſtre Paradiſo ex Adam poſt ejuſdem lapſum quæſiviſti: Adam, ubi es? Ubi ſunt meæ formæ veſti-

veſtigia? Ubi eſt ratio hujus hominis, qui perſonam, ſexumque mentitur? Ubi pudor, & modeſtia mulieris hujus; quæ ſub mutuata facie noctes omnes ad choreas ſollicita fertur? *Idem*.

Non deſunt, qui totum vitæ ſuæ ſpatium inter ganeas, libidineſque traducant.

Neque uno tantum, ſtatutoque anni tempore oblectamentis, ſolatiiſque indulgetur; nimis multi in terris ſunt, quibus non aliud negotium eſt, quam alea, & ludus; & illi ipſi, qui hæc interrumpere coguntur, ut victum ſibi comparent, illi etiam nequaquam male vitam ſuam collocaſſe putant, cum hoc inierunt conſilium alternis vicibus negotia ſolatiis reciprocare ſolatia; at viderine poteſt major cæcitas, quam impudentiſſimorum quorumdam mortalium, in quibus vivendi licentia omnes conſcientiæ ſtimulos, omneſque religionis ſenſus ſuffocavit, eouſque ut ne credant quidem ea mala, quæ ipſis Deus minitatus eſt? Hujuſmodi illi ſunt, de quibus in Sapientiæ libro ſermo eſt: Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Quodnam conſilium? quæ cæcitas? quod ex illis lacrimarum imbres deberet elicere, illos in ſolatiis, atque voluptatibus immergit: fatalis hujus momenti expectatio, quod omnibus voluptatibus finem impoſiturum eſt, quin earum in ipſis faſtidium creet, efficit e contra, ut ſeſe illis ingurgitare feſtinent; imminentem prævident mortem, neque verentur illam; ſtupiditas eorum efficit, ut hanc ſine ullo metu, atque tumultu prope ſpectent; noviſſimis momentis, quæ Deus illis concedit, abutuntur, & non ſine graviſſima divinæ miſericordiæ contumelia nocentem vitam nocentiori morte concludunt. Nolunt ſuas relinquere voluptates; a voluptatibus ſuis volunt divelli. Suos tantum ſenſus conſulunt, a menſa ad ſandapillam tranſeunt, atque ſeipſos immergunt mero, cum anima ipſorum eſt infernis ignibus immergenda. *Auctor Anonymus*.

Bacchanalium diebus Chriſtianiſmi ſpiritus omnino videtur extinctus.

Satis aperte funeſta nos ducet experientia, per hoſce dies quoſdam videri Chriſtianos, in quibus nullum deprehenditur ſpiritus chriſtianiſmi veſtigium, & qui inſano acti furore effectibus ſuis laxant habenas, ac libertatem ſibi vindicant omnia per fas, nefaſque conandi, omniaque contra decorum, pudorem, & honeſtatem audendi; qui inſolenter Evangelii dogmata corripiunt; qui ſexus confundunt, honori ſibi vertentes, quod nihil ipſis ſimile ſit niſi homo improbus, & flagitioſus; tumidis torrentibus ſimiles, quorum curſum res nulla continere poteſt, & qui violenta pernicitate valla perrumpunt, ſecumque obvium quodlibet pertrahunt; Denique ut horum, qui nomine tenus Chriſtiani quidem ſunt, moribus autem Ethnici hypotipoſis abſolvatur, tanta eorum eſt cæcitas, ut putent, Dei leges licet immutabiles, hoc tamen habere commodi, ut quibuſdam anni temporibus permittant, quod aliis ſeveriſſime vetant; quaſi impietas rerum naturam poſſet invertere, vel efficere, ut Deus corruptis hominum ſtudiis velificaturus, ipſe quoque eſſet obnoxius mutationi. *Sermo Manuſcriptus*.

Ex morum licentia ſtatim ad licentiam, immo ad jacturam fidei proceditur.

Quemadmodum difficile eſt diu ferre certamen affectum inter, & rationem initum, ita ut tranquillius vitæ præſentis voluptatibus indulgeantur, deteſtabilis hæc ars excogitata fuit, alterutrum vel infirmare, vel evertere, ut alteri ſatisfiat: hoc eſt, ne inordinatorum affectuum curſus abrumpatur, ſuffocantur in corde puriſſimi fidei ſenſus, omniaque ſanæ mentis, & rationis lumina extinguuntur. Hoc pacto habetantur importuni conſcientiæ ſtimuli, quamquiſque fere fallere conatur; atque ſine ullo tumultu in licentia perſeveratur, & quaſi lex effectuum lenior, & ſuavior eſſe lege rationi, & æquitatis; vel quaſi major illecebra, & gloria eſſet vitam brutorum potius, quam hominum ritu traducere; rationem potius amittere volunt, quam a flagitioſiſſimo vivendi genere abhorrere. *Idem*.

Solatia, & ludi in quos Patres invehuntur, a bacchanalium ſolatiis non abhorent.

Non miror, ſi poſteriorum ſæculorum Patres tanta vi fuerint invecti contra prophana ævi ſui oblectamenta. Alea, S. Auguſtinus ait, Chriſtiani hominis abominatio eſt: *Alea crimen aleatoris*: Gula, Tertullianus inquit, polluit os eſu divini corporis conſecratum: *Ut quid gula Dei ſanguine Sanguinaris*? Chorea, & ſaltatio, S. Ambroſius ait, *eſt morientis pudicitiæ agitatio*. Denique ſpectacula, & quidquid per oculos voluptatem immittit, S. Chryſoſtomus inquit, divina lege vetitum eſt. Quid hiſce auctoritatibus reſponderi poteſt, præſertim vero cum experientia confirmet, bacchanalium ſolatia nequaquam magis a culpa abhorrere, quam quæ primis chriſtianæ religionis temporibus conſueverant? Quod ſi horum ſolatiorum ſingula criminoſa ſunt, quid de mortalibus ſentiendum, qui illa ſibi omnia hoc tempore, & nonnumquam toto vitæ ſuæ ſpatio licere volunt? Non enim deſunt quorum negotium eſt gaudia perquirere. Quidam ex hoc cognoſcuntur, per hoc indignitantur; hic homo eſt effuſis in omni intemperantia libidinibus deditus; hæc mulier eſt voluptatum amica; niſi ita impudica ſit, ut illius vivendi genus ſcandalum præbeat, ſaltem nihil intentatum relinquit, ut jucunde tempus traducat. Dicine poſſunt mortales hujuſmodi chriſtianam vitam ducere, & ſecum reproborum characterem non gerere? *Sermo Manuſcriptus P. Franciſci Catrou*.

Hypothipoſis vitæ, ac dogmatum quibus homines flagitioſi imbuti ſunt, in Sapientiæ libro exhibita.

Venite (flagitioſi homines inquiunt) *& fruamur bonis, quæ ſunt*. Venite, voluptuarium nobis cœtum conſtituamus, atque ſine lege, indiſcriminatim iis perfruamur bonis, quæ anni præſens tempus exhibet nobis. Patrimonium diſſipetur; obmurmurent conſanguinei, in egeſtate reliqua langueat familia, creditores noſtram videant profuſionem: hæ conſiderationes illam perturbarent animi hilaritatem, cui honorem, decorum, religionem, omnia poſthabemus. *Utamur Creatura tamquam in juventute celeriter*. Adhuc in ætatis flore verſamur; quamprimum læti dies nobis aufugient; ſenectus ocyus ſapientiam, ac voluptatum nauſeam afferet. *Vino pretioſo, & unguentis nos impleamus*. Vinum & delicias nonniſi ex earum raritate æſtimemus; gaudium nonniſi ex legis prævaricatione metiamur; in licentia tantum voluptatem inveniamus, & furor ſuaviſſimum ſit voluptati condimentum. *Nullum ſit pratum, quod non pertranſeant luxuria noſtra*. Ubicumque juventutem, & pulchritudinem floreſcentem inveneriomus, illuc corruptionem invehamus; virgines honeſtiſſimas importunis fatigemus illecebris; minus cautas inanibus blanditiis decipiamus. *Ubique relinquamus ſigna lætitiæ*. Ubique agnoſcamur ex oris habitu in omnem lætitiam effuſi; loci omnes, ubi verſamur, ubi voluptatibus indulgemus, ubi viſitationes obimus, repleti ſint veſtigiis procaciſſimæ hilaritatis, quæ poſt nos ipſos relinquimus. *Hoc eſt enim pars noſtra*. Epicuræorum placita profeſſi in una voluptate omnia & pro tempore, & pro æternitate jura noſtra conſtituamus. Quis autem dubitat, quo minus hujus farinæ homines in voluptatibus ſuis fatale virus, quod mortem ipſi inferat, nanciſcantur? *Idem*.

Quomodo morum licentia in Chriſtianiſmum obrepſerit.

Fideles cum de primo fervore nonnihil remiſiſſent, ſenſim infidelium ſolatiis oblectari incœperunt. Eorum ludis, atque theatris intereſſe non erubeſcebant; non abhorrebant a ſolemnitatibus, quæ in idolorum honorem inſtituebantur; commeſſationum eorumdem lautitiem imitabantur, æque ac illi voluptuarios cœtus habebant, quibus quoſdam menſes, & varias anni tempeſtates diſtinguebant triſtes effectus exempli, quod eorum excitabat cupiditates, eoſque paulatim a ſeveris Eccleſiæ ritibus amovebat. Hoc pacto morum corruptio, quam Chriſtianiſmus ſuſtulerat, iterum in Chriſtianiſmum obrepit. Aliquid ſimile videmus adhuc in plurimorum fidelium vita contingere, qui in pietate innutriti, & Religionis inſtitutis imbuti ſeſe mundi ſolatiis immiſcent, in mundanorum ſocietates ingrediuntur, eorum licentia quibuſdam temporibus imitantur, in eorum ludis, ſpectaculis, comeſſationibus locum habent, eoſque in academiis, & cœtibus ſcandalo inferendo deſtinatis ſequuntur, ac tandem in eorum mores abeuntes & ipſi fiunt palam æquo liberiores. *Auctor Anonymus*.

Quidquid bacchanalium tempore videtur in vitium impellit.

Quid videri poteſt, quo magis ea foveantur ſtudia, quibus in vitium rapimur, & in nobis omnes verecundiæ, & probitatis ſenſus extinguantur, quam quod paſſim, dum bacchanalia furunt, videtur? Immodeſtioris habitus; immodicæ hilaritates, publicæ libidines; effuſæ comeſſationes; vetita ſpectacula; voluptuarii cœtus; oculi ad omnem vanitatem aperti, & ſpiritus ad criminoſa ſolatia diſpoſiti; flagitia hæc, propter quæ erubeſcit Eccleſia, & tot animæ piæ collacrimantur, nullum inter Ethnicos, ac Fideles relinquentia diſcrimen. *Alius Auctor Anonymus*.

Baccanalium dies impietati, ac libidini devoti videntur.

Quemadmodum inter anni dies, quidam pietati, modeſtiæ, & orationi deſtinati videntur; dies, quos devotionis nuncupamus, quales ii ſunt, quibus colit Eccleſia præcipua religionis noſtræ myſteria, nativitatem, paſſionem, & reſurrectionem Domini noſtri, aliique: ſimiliter & quidam licentiæ, & libidini videntur deſtinati; dies, qui mollitiei, & effuſiori in omni intemperantia libidini, adventante carniſprivio, dicantur, quod tempus eſt devotioni, pœnitentiæ, & mortificationi devotum: ita ut quin mortales ſancto vivendi genere, & pie factis ſeſe præparent hiſce remiſſionis, & ſalutis diebus; vita prorſus ſoluta, ethnicoque digna interitum ſuum quærant, ac ſe tanto privent beneficio. Etenim quid quæſo ubique videtur in plateis, & compitis, immo etiam in pleriſque privatis domibus; quam peccatores ſimul coacti ad inſtaurandas veteres Ethnicæ ſuperſtitionis impietates, furoremque bacchantium: homines ſine Chriſtianiſmo, ſine lege, dicamne? ſine ſenſu, & ſine ratione, qui non religionem ſolum, quam profitentur, verum etiam hominum, & rationalium nomen, quod gerunt, dedecorant. De illis judicium ferre lubet ex ſpectaculi, larvis, theatris, conviviis; ex hoc peccatorum nexu, quæ per hoſce dies perpetrantur &c. *Deſumptum partim ex Morali Dictionario Sermone hujus argumenti primo*.

De bacchanalium perſonatis.

Quonam deteſtabili modo excogitata fuit ars, alienam induendi perſonam, ut homo longe alius ab eo, qui eſt, videretur, utque Dei ſui in ſe deleret imaginem? Hoc olim intelligere Tertullianus non poterat: *Libido virum vultu transfiguravit*; voluptas deformavit hominis faciem; hæc non amplius eſt egregium illud opus, quod Deus ad ſui ſimilitudinem effinxerat; non amplius illud opus eſt manuum ejus, quod ipſe ſuo flatu animaverat, alienam induit formam, qua dæmonum quidem ludibrium, cœli vero efficitur abominatio. Sexum cum mutare non poſſit, habitum mutat. Chriſtiana verecundia, quæ ſaluberrimum eſt peccati frœnum, deletur: qui naturali facie prodire numquam auſus fuiſſet, ſub aliena, quam impudentiſſime eſt mutuatus, ſanctiſſimas naturæ leges infringit: quæ plurimo rubore ſuffuſa ne minimum quidquam contra fas attentaſſet, ſi ex facie potuiſſet dignoſci, alienam induens perſonam in omne vetitum ruit, & penitus modeſtiæ, quæ ſexum decet ſuum, obliviſcitur. *Idem*.

Hoc potiſſimum tempore Jeſus Chriſtus iterum crucifigitur.

Si verum eſt, quemadmodum explicitis verbis affirmat Apoſtolus, numquam a nobis lethale ſcelus admitti, quin intra nos Dei filium iterum crucifigamus: *Rurſum crucifigentes in ſemetipſis filium Dei*: ad Hebr. 6. procax peccator animum advertere poteſt, quin perhorreſcens, atque in ſeipſum indignatione ſuccenſus dentibus infrendat videns, quot modis hiſce impietatis, effrænatæque licentiæ diebus filii Dei mors, ac tormenta inſtaurentur? Hæc non ſolum eſt ſimplex peccatorum illuvies; exundatio eſt, & univerſale diluvium. Non privati tantummodo nonnulli ſeſe mero, aliiſque noxiis cupiditatibus ingurgitant, ſed urbes totæ, atque Provinciæ; omnes nefaria, atque anniverſaria conjuratione conſpirant, ut Dei filio necem inferant, atque ut olim Judæi, uno ore exclamare videntur. *Tolle, tolle, crucifige eum*. Joann. 19: Aliis anni temporibus otium, impudicitia, mollities, gula, impietas quodammodo latent, atque ſepulta ſunt in nefariis peccatorum cordibus; ſed hiſce effuſiorum libidinum diebus inſolenter in lucem prodeunt. Peccatum perfregiſſe valla omnia videtur; corruptio quæ in eorum corde latebat ſeſe effudit, & omnem late terrarum orbem corrupit. Ubique graſſatur impietas, ubique licentia, ſordes ubique; & homines certare videntur, quiſnam citius recti ſenſus, & rationis faciat jacturam. Hi ſeſe floribus coronant, illi inaudita metamorphoſi ſe in belluas immutant: homines muliebri amictu, mulieres virili induuntur, & in tanta hac rerum omnium perturbatione utrique impune omnia ſibi licere volunt; idque iis in urbibus, quæ Chriſtianam religionem profitentur, atque apud eos homines, qui Evangelio ſe credere, & Jeſu Chriſti diſcipulos eſſe gloriantur. Si hoc non eſt Jeſum inimicis ejuſdem tradere, illum illudere, atque intra ſe crucifigere; ne longiſime erravit S. Paulus, cum lacrymarum imbre ſuffuſus dixit, plurimos adhuc eſſe Crucis inimicos. *Idem*.

Hoc tempore magis, quam alio quolibet Jeſus Chriſtus contumeliis afficitur.

Mirum profecto eſt, fideles ſæculi flagitiis adeo facile trahi, & adeo modicam gerere gloriæ præceptoris ſui curam, ut quin eamdem omni niſu ſtudeant provehere, illam ignaviſſimis prævaricationibus abolere adnitantur . . . . Fabulam ſurdis canit, qui apus eos de maximo ſalutis negotio verba facit. Prorſus impie reſpondent, hæc monita temporis hujus non eſſe; ſingula ſuum tempus habere; hoc vera tempus eſſe ſolatiorum, atque gaudiorum. Hinc oritur univerſale hoc iniquitatum diluvium, quæ ſub relaxandi animi prætextu committuntur. Hinc inſani furores, hinc nefariæ libidines, hinc ſcandala; omnes fere Jeſum Chriſtum contumeliis afficere quærunt in iis etiam, quæ in religione ſanctiſſima ſunt, neque ulla ratione temeranda. Vobis hic imaginem exhibere variorum ſcelerum, quæ in mundo patrantur, hoc vero potiſſimum tempore, quo dæmon imperioſius regnat, & quo homines quadrageſimalem reparaturi temperantiam in ea ruunt flagitia, quæ loci dignitas ne patitur quidem nominari; vobis, inquam, hujuſmodi texere nomenclaturam opus eſſet prorſus inutile; etenim ſat illa noſtis: quamobrem eorum ſanctum horrorem vobis injeciſſe ſufficiat &c. *Idem Sermone 2*.

Flagitia hæc in Ethnicis admirationem nobis afferre non debent, ſed in Chriſtianis ſunt deteſtabilia.

Cum apud hiſtoricos legimus depravatiſſimos Ethnicorum mores, & libidinum eorumdem inſolentiam, quamquam admirationi cauſa non deſit, hos tamen conſiderare debemus tamquam neceſſario ejus cauſæ effectus; quæ non alios gignere poterat. Quod numinis alicujus cultores ſe illius, quod colunt, moribus conformet; hic naturalis eſt cultus ejuſdem effectus. Quod qui Jovem adulterum venerabantur, ſeſe impudicitiis abdant, & alii iis indulgeant ſceleribus, quorum exempla in Diis ſuis admirabantur, in hoc nihil mirum eſt, inquit Minutius Felix inter primos chriſtianos Auctores: etenim cur homo ſuapte natura vitioſus abhorreat a vitio, & voluptate, ad quam numinis, quod colit, miniſterio impellitur, & exemplo? Sed quod fideles, qui profitentur Evangelium, ubi de mortificatione tantum, ac temperantia ſermo eſt, quod fideles a Deo in cruce mortuo redempti voluptuoſam vitam ducunt, quod hoc tempore faciunt, erecta cervice, ſine verecundia, & ſine religione, hoc ſane intelligi nequit, quin nobis ſanctus horror incedat. *Idem*.

Bacchanalium flagiis conſuetudo prætexitur.

Hiſce diebus conſuetudini tantum indulgetur, quæ longo uſu legis vim adepta videtur ea in religione, quam profitemur, & fidelium plerique dicere videntur, quod olim Judæi tempore Paſſionis Domini: *Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori*. Afferamus quotcumqne libitum fuerit rationes; proferamus Scripturas, Concilia, patres Bacchanalium licentiam, effuſamque libidinem damnantes, non aliud reſponſum dabitur præterquam: hæc eſt conſuetudo hoc tempore animum recreandi; qui nos præceſſerunt, hoc fecerunt; nos ipſi hoc faciemus. Hic uſus inter nos percrebuit, & inolevit, ut pſallamus, ſaltemus, meliorem dici, noctiſque partem in ludis, ſpectaculis & conviviis traducamus. Sed in tanto hoc publico tumultu ulli ne invenientur veræ legis patroni, qui procacibus hujuſmodi mortalibus dicant, quod tres illi pueri olim dixere Nabuchodonoſor: *Notum tibi ſit Rex, quod Deos tuos non colimus*. Daniel 3. Scitote, nos numquam conſcientiam noſtram prodituros, & Deo, quem colimus, numquam injuriam hanc allaturos. *Idem*.

Mira plerumque fidelium hoc Bacchanalium tempore cæcitas.

Quæ major dementia, quam plurimorum fidelium hoc tempore, qui obliti, non equidem dicam, chriſtiani hominis officia; quæ illis fere numquam negotium faceſſunt, ſed proprii ſtatus ſui, meliorem noctis partem in ludis, choreis, & conviviis traducunt; qui, quandoquidem cum omnibus loquendum eſt, triduo, vel ad ſummum quatriduo plurium hebdomadarum labores abſumunt: qui ſive a creditoribus urgeantur, ſive frequenti filiorum ſobole onerati ſint, ſolatiis tantummodo, temporique terendo vacant; qui etiam de calamitatibus cum publicis, tum privatis conqueſti, omnium tamen primi ſodalitates nectunt, perſonam inducunt, & in omne vetitum ruunt? Mirum! ſe miſeros dicunt, & nihilominus ſæculi nugas conſectantur: *Miſeri jam ſumus, & nondum nugaces eſſe ceſſamus*, ajebat olim ſimili in occaſione diſertiſſimus Salvianus. Exclamamus contra corruptionem, & flagitia, quæ hiſce diebus graſſantur, & nemo ferme privato exemplo abuſum hunc corrigere adnititur. *Auctor Sermonum moralium, Sermone pro Quinquageſima Dominica*.

Dæmon cum Deo tempora, annique tempeſtates dividere vult.

Deus dierum omnium eſt auctor, omneſque dies illius ſunt, & ut loquitur Scriptura, juxta providentiæ illius diſpoſitionem durant, ſibique ſuccedunt. Sed hominum inimicus & gloriæ Creatoris uſurpator cum illo tempus dividere vult; & ipſe quoque ſuos habere dies, non ſecus, ac Deus ſuos. Quamobrem fidelibus perſuadem, quaſdam eſſe temporum voluptates; hos Bacchanalium dies potiſſimum dicatos eſſe ſolatiis, cœtibus, compotationibus, ſpectaculis; quemadmodum qui ſubſecuturi ſunt, dies erunt mortificationis, jejunii, & pœnitentiæ. Periculoſa dæmonis illuſio, qui hoc tempore ſibi ſervitutem præſtari vult, & quamdam imperii ſpeciem in homines exercere. *Idem*.

Humanæ ſalutis inimicus ad mortales perdendos hiſce baccanalium diebus duplici utitur via; conſuetudine videlicet, & pravo exemplo; conſuetudine, quam dæmonis traditionem vocare poſſum; & exemplo, quod flagitioſorum nominum legem jure appellabo: conſuetudine, & exemplo, quæ congregantia venenatas aquas quodlibet ſæculum attulit, ſimul conjunguntur, ut ingens illud efficiant iniquitatum diluvium, quod univerſum ferme terrarum orbem inundat; conſuetudine, & exemplo, quæ deteſtabiles rationes ſunt mundanos homines ad interitum catervatim compellendi, qui a ſubſequentibus compulſi, atque impellentes eos, qui præcedunt, conjunctim in abyſſum ſeſe præcipites dejiciunt. *Idem*.

Dolor, quo veri fideles affici debent ea videntes ſcelera, quæ hoc tempore perpetrantur.

In Eccleſiaſtica narratur hiſtoria, Epiſcopus cujuſdam oppidi in Syria nomine Epiphanius, cum cauſam intellexiſſet inſueti ſtrepitus, qui per omnia compita exaudiebatur, audiiſſetque publicam hanc lætitiam inde profectam, quod Bacchi idolum in Templum

plum ipſius inferebatur, tanto fuiſſe dolore percuſſus, ut ſtatim obierit, quia ſuperſtes eſſe non poterat tantæ huic abominationi in loco ſancto. Deo immortales habeantur gratiæ, eo quo vivimus ſæculo, ſimilis prophanatio metuenda non eſt; verum non deeſt nobis conquerendi cauſa: cum per hos dies videamus everſa Ethnicorum ſimulacra iterum erigi, veteres abominationes antiquari, ſub Chriſtiani nomine graviſſimam Eccleſiæ injuriam inferri, nefaria intemperantia in corporibus noſtris, quæ ab Apoſtolo templa ſancta, & Dei domicilia vocantur, Bacchi erigi idolum. Nos vero hujuſmodi prophanationes, & ſcandala non movebunt? In Dei cauſa, & noſtra frigidi erimus? cur in lacrymas non erumpimus? cur ad tot peccatorum adſpectum præ dolore non morimur? Hæc quidem mors pretioſa eſſet in oculis Domini: at extremus iſte charitatis noſtræ niſus ex nobis non petitur; illud vero nobis faciendum eſt, ut omnes in eamdem mentem conſentientes ſimul omnes clamemus, præcibus noſtris majus pondus addituri ut dignetur Dominus illuminare hos cæcos, & cum illis uti miſericordia, quia peccati ſui enormitatem minime agnoſcunt. *Idem*.

Hoc tempore deflere debemus ea mala, quæ committuntur in mundo.

Hæ animo cogitantes mala, quæ hiſce diebus accidunt, quid noſipſi, quid vos animæ fideles facere poſſumus, niſi amariſſimum lacrymarum imbrem effundere hoc tempore, quo vitium triumphat, quo libidines impune graſſantur, quo ſcelus corona redimitur; quo viæ omnes refertæ ſunt cæcis, atque furentibus, amentium inſtar hac illac volitantibus; quo cum noſtræ religionis ſcandalo nonniſi licentia, impietaſque videtur. Veſtrum eſt, animæ ſanctæ, publica hæc amovere flagitia, in Templa, & ad aras confugiendo, ut Regem gloriæ colatis nunc maxime, cum a tot cæcis peccatoribus, qui ad illius necem, ut olim Judæi, conjuraſſe videntur, nequiſſimis afficitur contumeliis. Etenim quandonam, fideles animæ, eum illi teſtabimini amorem, quem profitemini, niſi hoc tempore fiat? Quandonam illi fideles eritis, niſi cum ab omnibus fere mortalibus derelinquitur? Numquid non timetis, ne vobis in hac publica conjuratione dicat, quod Apoſtolis ſuis olim in horto olivarum: *Non potuiſtis una hora vigilare mecum*? Matth. 26: Ego in his altaribus adſto, ac eo tempore quo graviſſimis proſcindor contumeliis, nullum mihi precibus, & pietate veſtra ſolatium affertis. Hoc ex vobis proximi veſtri petit utilitas, qui per hæc Bacchanalium flagitia in ſe fortaſſe maledictiones cœli detraheret, niſi illa precibus veſtris âverteretis. Eheu! quot ſunt miſeri peccatores in pereundi periculo poſiti, niſi aliquod ſpirituale ſubſidium afferatis, & niſi charitas veſtra erga illos divinæ ultionis tela detorqueat? *Joly, Tomo ſecundo propoſitionem pro Quinquageſima Dominica.*

Peccatores hoc tempore oblectantur, dum interim Deus eorum ſceleribus irritatur reprobationis eorum ſcribit ſententiam.

Quam miſeret me veſtri, o inſipientes! qui oblectationibus indulgentis, qui pervolitatis, qui de choreis ad choreas, de ſpectaculis ad ſpectacula properatis: hic fortaſſe peccatorum veſtrorum erit cumulus; lætamini, & fortaſſe jamjam reprobationi veſtræ cumulum additis, atque in infernum eſtis deſcenſuri: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*. Gula veſtra vos fortaſſe perdet, ut Eſau, mollities, & ebrietas veſtra, vos perdet, ut Balthaſar; impudicitia, ac libido veſtra vos perdet, ut ſenes illos, qui Suſannæ ſtuprum inferre conati ſunt. Adhuc eſcæ erant in ore Iſraelitarum, cum Dei ultio in illos detonuit, ut eorum intemperantia puniret. Heu! numquid non timetis, ne eadem committentes ſcelera, ſubituri ſitis idem ſupplicium? Ad divinas ultiones inhibendas vos hodie obteſtamur, o fideles, ut ante aras provoluti tantam calamitatem deprecemini. Deus adeo bonus, & miſericors eſt, atque tantum ſibi complacet veniam permittens, ut ſtatim ac lacrymas videt, atque audit ſuſpiria, tela deponat. Nonnumquam duo tantum juſti ſufficiunt ad brachium illius inhibendum, prohibendumque, ne centum peccatores ab illo puniantur. Decem tantummodo homines pii Sodomæ, & Gomorrhæ incendium prohibuiſſent: nefariæque illæ civitates nequaquam in cineres fuiſſent redactæ, ſi decem animæ juſtæ fuiſſent inventæ, quæ tantum deprecarentur excidium. Moyſes unus divinam ultionem latius deſævire vetuit, cum prope erat, ut populum Iſrael occidione deleret: & quemadmodum pater, qui iraſcitur filio ſuo, gaudet ſibi e manibus virgas auferri; ita, S. Auguſtinus ait, gaudet Deus videns juſtos homines, qui brachium ejus continent, ejuſque ultionem impediunt. Accedite ergo, fideles animæ, ad Domini pedes provolutæ, madentibus lacrymarum imbre genis, atque ex corde ſuſpiria emittentes: Oblivifcere Domine, oblivifcere eam, quam peccatores tibi inferunt, injuriam; inſipientes ſunt, & ſuis vacant oblectationibus, cum tu in illos vis animadvertere. *Idem*.

Hoc Bacchanalium tempore fideles preces ſuas inſtaurare & augere tenentur.

Ratio, quæ jubet veros Chriſtianos hoc Bacchanalium tempus in pietatis ſenſibus, atque ſeceſſu tranſigere, ea eſt, quod hiſce effrænatæ licentiæ diebus omnes fere mortales Dei filium offendunt. Mirum! non deſunt quamplures, qui in mundo viri boni, & virtute præditi habentur, qui hoc tempore libertatem ſibi vindicant relinquendi devotionem, reliquo anni ſpatio ſibi familiarem. Diceres, hoc eſſe quoddam veluti tributum temporis hujus conſuetudini debitum; per hoc reparandam eſſe quodammodo vim, quam ſibi quiſque aliis anni tempeſtatibus infert, & credi, quædam hoc tempore licere, quæ aliis ferenda non eſſent. Verum Jeſus Chriſtus hiſce defectionis diebus neminem pro ſe ſtantem habebit? Num illi ipſi, qui eum ſequuntur, hoc libidinum effuſiorum tempore ab illo recedent? Nonne ſaltem opus eſt, ut dum omnes fere mortales ſæculi partes roborant, atque confirmant, exiguus ſaltem piorum hominum numerus ab illius ſocietate non deficiat, ac a magna nocentum turba ſecedentes illum adoraturi in templum ſe conferant, ſibique legem irrogent ſeſe mortificandi, & pœnitentiam agendi? *Idem in mixtis operibus.*

Duæ ſemper fuere partes in omnibus ſtatibus vitæ Jeſu Chriſti; altera quidem pro illo, altera, contra illum.

Animadvertendum eſt, Dei filium qualibet in occaſione duas ſemper habuiſſe partes; quarum altera pro illo eſſet, altera contra illum. Statim ac in mundum venit, exigua Paſtorum manus ad illum adorandum acceſſit; verum ſimul Herodes, Jeruſalem, Principes omnes, legiſque doctores in eumdem inſurrexerunt. Poſt annos triginta coegit Apoſtolos, & prædicavit in Synagogis; tunc quidem duæ partes extitere; alii quidem dixerunt, hic vir bonus eſt; alii vero, homo eſt ſeditioſus. Phariſæi, & Principes nationis illi bellum indixerunt. In morte illius hæ itidem partes duæ deprehenduntur; unus ex Diſcipulis ejus; & piæ quædam mulieres ſequuntur, & comitantur illum; atque alter ex latronibus ſupplicii ejuſdem ſociis illum Dei filium confitetur; cæteri vero occaſionem arripiunt illum blaſphemandi, eique illudendi. Poſt illius mortem hæ duæ partes adhuc vigent; alii convertuntur, & palam profitentur ipſum revera Dei filium fuiſſe; ſed longe plurimi quatientes capita ſua illum ſeductorem eſſe dicunt, & quia dixerat ſe tertia die reſurrecturum, ad ſepulchrum ejus cuſtodes adhibent ut illum ſeductorem fuiſſe probent. Quod autem accidit in nativitate, vita, morte, & poſt mortem filii Dei, hiſce diebus inſtauratur. Modicus fidelium ſervorum ejus numerus in ejus partes concedit, eum ſequitur, illi adhæret, & hos dies in ſucceſſu, & pietatis exercitiis traducit; at potior numerus contra eumdem eſt ſeſe in omne vitiorum genus, omnemque libidinem tradens. *Idem in compendium redactus.*

Quid ex hoc principio inferendum ſit.

Quæ cum ita ſint, (Auditores) huic innixi principio relinquere debetis magnum hunc cœcorum numerum, libidinoſorum, ac in omne flagitiorum genere perditorum, ut in exiguo Jeſu Chriſti grege recenſeamini. Quamplurimi illum offendunt: cur augebitis numerum inimicorum ejus, eumdem, ut alii, lædentes? Plurimi ſunt, uti a S. Paulo ad Philip. 3. vocantur, *Inimici crucis Chriſti*, quia ventrem ſuum ſibi Deum ſtatuunt; cur vos quoque, ut illi, noxiis voluptatibus indulgebitis? Hac in occaſione jure quidem ille dicere poteſt, quod olim; *Qui non eſt mecum, contra me eſt*: Luc. 11. qui pro me non ſtat, qui in partes meas non concedit, jam concedit in partes hoſtium meorum, & pugnat contra me. *Idem*.

Quid conetur Eccleſia hoc tempore licentiam inhibitura, & Bacchanalium flagitia prohibitura.

Videmus Eccleſiam conari, ut hos dies æque ſolemnes efficiat, licentia eos abominabiles facit. Dum plurimi loci blaſphemiis, & abominationibus prophanantur, templa ſacris evangelii oraculis reſonant. Dum Chriſtiani infamibus, diaboliciſque larvis deformati tamquam monſtra in religione videntur; Eccleſia exponit corpus Salvatoris ſui ſub Euchariſticis ſpeciebus, ut ſolatium afferat animabus moleſtiſſimam hanc Ethnicæ nequitiæ inſtaurationem deflentibus. Dum plurimi peccatores menſuræ ſcelerum ſuorum cumulum addunt; illa expiationis offert ſacrificia, & indulgentias pro aliis. Dum homines ſæculi pernicioſa, atque deteſtabili conſuetudine ſcelerum omnium indignitate pœnitentiæ aditum reſerant; omnes religioſæ domus abſtinentias, & mortificationes Quadrageſimæ incipiunt. Verbo, dum ex altera parte videtur quidquid in mundo magis impium, atque prophanum eſt, ex altera videtur quidquid in religione ſanctius eſt, & auguſtius. Ingrediamur, o fideles, in hos ſenſus Eccleſiæ. Quantum in nobis erit conferamus aliquid oppoſitioni, quam illa Deum inter, ac mundum ſtatuere contendit. Secreto rubore ſuffundamur, eo quod fortaſſe noxia facilitate, atque indulgentia ab eadem receſſimus. Abjiciamus omnes oblectationum, & ſolatiorum ideas, quas fortaſſe concepimus. Noſmet fortitudine armemus, ut religionem in periculoſis cœtibus tueamur, in quibus licet inviti propter inevitabilia noſtri ſtatus officia noſmet repererimus. *Eſſais de Sermons pro ſecunda Adventus Dominica.*

Adhortationes ad fidem Deo ſervandam hoc Bacchanalium tempore.

Propter ſalutem noſtram, atque Dei gloriam oſtendamus, adeſſe adhuc in mundo veras, ſolidaſque virtutes; non deeſſe fideles, qui tanto magis religionem reverentur, quo magis indigne illam ab impiis labefactari conſpiciunt, & qui ex pravo illorum exemplo, nihil niſi & indignationis cauſam percipiunt in eos, a quibus illud præbetur, & fervoris incrementum, ut illud perſequantur. Deus calamitoſis hiſce temporibus undequaque laceſſitur; effrænata licentia januam aperuiſſe videtur omnibus ſceleribus; vix minimum pietatis veſtigium inter mundi hujus homines deprehenditur. Ita nulla Eccleſiæ reliqua ſpes eſt, niſi in nobis hoc tempus eſt oſtendendi, utrum veri ſimus filii ejus. Illa in manibus noſtris gloriam ſuam collocat; noſtrum igitur eſt, omnia illius detrimenta reparare; gloriam ejus tueri exemplis virtutis, quæ æque publica ſint, ac ea ſcandala, quibus dedecoratur, reſiſtere huic torrenti impietatis, undequaque exundanti; revocare in flagitioſorum hominum corde memoriam Dei, cujus ideas illi penitus delere conantur; palam damnare ea videndi ratione, quæ publica ſit vitæ eorum cenſura, id, quod reformare non poſſumus, & ſaltem impiorum pacem turbare niſi ſcelerum ipſorum curſum inhibere valeamus. *Idem*.

De licentia generatim, de illis, qui in eadem totam tranſigunt vitam, & morum corruptores dicuntur.

Nihil periculoſius eſt, neque peſtis ulla in mundo pernicioſior, quam fallax, & nefaria libertas, quæ licentiam parit, nutrit, auget, eamque ad extremum uſque compellit; quia neque ordinem, neque rationem, neque virtutem ſequi patiens ſeſe tradit flagitioſæ, perditæ, libidinoſæque vitæ criminibus, quæ illam Deo, hominibuſque non ferendam efficit in iis quæcumque operatur. Licentia hæc non eſt vitium particulare, ſed violenta inclinatio ad omnia vitiorum genera, quæ laxat habenas, & quæ nullo metu, vel lege deterretur. Hæc ipſa non eſt ſceleris alicujus ſpecies, ſed abominabilium multitudo peccatorum, quæ ſibi obnoxios tanta confuſione, & infamia ſuffundit, quantam ſingula vitia, & delicta merentur. Servitus etiam accedit infamiæ; qui enim ſeſe effrænatæ licentiæ flagitiis mancipant, ſæpe invi bilium catenarum ſuarum pondus perſentiunt, quin ſeſe inde valeant expedire; cujus rei non alium teſtem afferam, quam S. Auguſtinus hæc de ſeipſo dicentem: l. 8. Confeſs. c. 5. *Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate.* Licentiæ nequitia latius adhuc extenditur; non enim ſolum quodcumque bonorum genus impedit ſed quocumque gerit tantum vitiorum & abominationum diluvium, ut ſecum omnem trahat juventutem, & provectiori etiam ætati non parcat. Profecto qui juſto ſolutiores ſunt, virtutes, ac prudentia deſtituti vivunt in familiis ſuis ſine lege, ac ſine ratione, in ſtatu, officioque ſuo ſine cura, & attentione, in cœtibus ſine honeſtate, & verecundia; in omnia ſeſe effundunt libidinum genera ſine pudore, & ſine modo, ac tandem omnia ſine honore, & merito operantur. Hinc ſequitur, quod licentia cauſa eſt, dux, & auctrix nequiſſimarum omnium libidinum; publica peſtis quæ ubique in animis virulentas luem effundit; quæ res efficit, ut illam omnes boni perhorreſcant, & ut verbo omnia complectar, ut illa virtutem omnem, pietatem, & religionem perſequatur. *Liber cui titulus, Bellum variis prælio quinto contra licentiam.*

Qui juſto ſolutiores ſunt, plurimos ſecum trahunt, quorum interitus ſunt cauſa.

Quicumque juſto ſolutior eſt, hic ſibi pravus eſt dux, pravus magiſter, & freneticus, qui ſeſe in præceps demittere quærit: verum cum ſibimetipſi adeo noxius ſit, fieri non poteſt quominus officiat aliis; ideoque omnes conatus ſuos exerit, ut jugibus ſollicitationibus, variiſque modis eos, quorum utitur familiaritate, & conſuetudine perdat. Hoſtis ſur ens, & freneticus, qui vult, ut alii ſecum in omnia perditiſſimæ libidinis flagitia ruant; qui equis, & quadrigis adnititur, ut alios a virtutis ſemita detorqueat, & in vias perditionis abripiat; qui bonorum verecundiam, atque modeſtiam irridet; qui juvenes allicit, atque in fariis exemplis ad libidinem pertrahit, qui non alios novit amicos, niſi quos habet criminum, atque impietatum ſocios; qui ſibi inimicos putat, qui illum imitari detrectant, ut ait S. Cyprianus: *Malos, qui non imitatur, offendit*. Furens hoc ingenium in quovis flagitioſorum hominum genere deprehenditur; parvuli enim initio id ex animi tantum levitate faciunt, ubique ſcelerum ſuorum conſortes perquirunt, ut & alios a via virtutis avertant. Hoc videtur in filiis male inſtitutis, qui intra modicum tempus in omnem licentiam erumpunt: namque ſemper in flagitiis ſuis creſcentes, prout adoleſcunt ætate, æque & ſceleribus, libidinibuſque adoleſcunt, quærunt ſocietatem eorum, qui ſibi ſimiles ſunt, omnemque civitatis juventutem in eamdem licentiam, & libidinem pertrahunt. *Idem*.

Improborum hominum licentia in bonis hominibus augere debet vitii horrorem & amorem virtutis.

Cum nullus vel major ſit, vel pericuIoſior humanæ ſalutis inimicus, quam licentia, quæ ſeſe in omnes ætates, in omnes ſexus, & in omnes hominum conditiones effundit; ita viri boni omnes induſtriæ ſuæ nervos intendere debent, ut illi adverſentur. Hæc humani generis lues in illis vitii horrorem debet augere, videntibus ea mala, in quæ ſibi inoſi homines ruunt. Regis Prophetæ ſenſus animo concipere debent præ zeli ſui fervore dicentis Pſ. 93. *Quis ſtabit mecum adverſus operantes iniquitatem*? Quamquam autem nemo miles eſſe non debeat, cum de hoſtibus Dei oppugnandis agitur; *In reos majeſtatis, omnis homo miles*, ut loquitur Tertullianus in Apologetica, nihilominus conſtat, magiſtratus, quos potentiæ ſuæ ſequeſtres conſtituit Deus, teneri coram Deo propter religionis officium, quam tueri debent, & auctoritatem, quam ipſis tradidit Deus, nequaquam ferre in civitatibus tantum hoc mali; licentia enim publicus eſt inimicus omnium Reipublicæ hoſtium pernicioſiſſimus. Vos, o parentes Deo rationem reddituri malorum, quæ filiorum veſtrorum licentia gignet, niſi patria uſi fueritis auctoritate ad illam coercendam, antequam roboretur, & ad extrema contendat: Vos, o Paſtores, & Miniſtri Domini, propter auctoritatem, quam vobis dignitas, atque miniſterium impertit, veſtrum eſt redarguere, increpare, damnare publice, privatim, qualibet in occaſione, quolibet momento, rationibus omnibus, quas Deus vobis ſuggerere poteſt, vitii hujus horrorem ciere, illud totis viribus expellere, & eliminare ex omnibus locis, ad quos veſtra juriſdictio, vel poteſtas ſe extendit. *Idem*.

Jure damnat Eccleſia ſolatia quæ Bacchanalium tempore licere putantur.

Videamus, utrum Eccleſia, & Patres jure ea damnent ſolatia, quæ plurimi eorum, qui boni, & frugi ducuntur, hoc ſibi licere tempore arbitrantur. Non loquor hoc in loco de oblectamentis nefariis, & voluptatibus fœdiſſimis, quibus illi ſe ingurgitant, qui palam libidinoſam vitam ſequuntur, & qui non ſatis bene oblectatos ſe fuiſſe putant, niſi ea perpetrarint, quæ ipſa horret natura; qui gloriæ ſibi vertunt recens aliquod libidinis genus quotidie excogitare. Neque de perditis hominibus loquor, qui ex ſceleribus ſolum voluptatem percipere videntur, qui ſcelus in voluptatibus, potiuſquam in ſceleribus voluptatem videntur requirere: *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis*. Prov. 2. Immo neque de illis voluptabus loquor, quæ generatim criminoſæ ducuntur, licet paſſim communes ſint, & hoc tempore multo magis, quam aliis; de conſuetis eorum ſolatiis verba facio, qui honeſti cenſentur. Quæſo enim, quanam in re tempus illud, quod animi relaxationem vocant, traducunt? quænam ſunt eorum voluptates, atque ſolatia? Nonne in conviviis, ubi luxus, prodigalitas, & intemperantia regnant, cum interim alii fame moriantur? Nonne in ludis, & alea, ubi plerumque non deſunt dolus, ira, jurgia, & juramenta? Nonne in cœtibus, ubi blandæ verborum illecebræ, obtrectatio, æquivoca, & obſcœna verba, nec non ſacrarum rerum, & religionis irriſio locum habent? Numquid immerito hæc ſolatia vituperantur, atque damnantur, licet ad graviora ſcelera proceſſus non fiat? Numquid graviora tantum crimina notanda, corripiendaque ſunt? Si quædam ex his voluptatibus quibuſdam in circumſtantiis probari poteſt, quod ſatis difficile eſt; numquid hoc probari poterit tempore, ubi conſuetudo, pravum exemplum, & licentia, quam ſibi arrogat quiſque, probare videntur exceſſus, qui alioquin ſunt quam maxime pertimeſcendi? *Auctor Anonymus.*

Turpe eſt Chriſtiano, conſuetudine trahi ad prophana Bacchanalium ſolatia.

Nonne verum eſt, quamvis ingenium noſtrum nequaquam ad prophana ſolatia nos reperet, vel ætas, ordo, officium, aut negotia ab iiſdem alio quovis tempore nos averterent, hoc tamen tempore omnia conſuetudini cedere? Silent forenſia jurgia, opifices a laboribus, operibuſque ſuis ceſſant, aliiſque negotiis, vel familiaribus curis inducias præbent; atque unicum temporis hujus negotium eſſe videtur oblectari. Verum ſi honeſta aliqua oblectatio quæreretur, non adeo ſeverus eſſem, ut quodvis ſolatii genus hoc tempore potius quam alio quovis damnare vellem; at nonne pudere debet Chriſtianum flagitiis, ac libidinibus ſuis prætexere tempus, & conſuetudinem, & omnes modeſtiæ, atque temperantiæ fines excedere? Attamen hanc prætexentes excuſationem facilius temporis hujus oblectationibus vacant; conſuetudo enim torrens eſſe dicitur, qui firmiſſimum quemque, & conſtantiſſimum trahit; & quaſi conſuetudo hæc rationi legibuſque Chriſtianæ religionis præſcribere poſſet, in excuſationem

nem adſertur. Hoc nonne turpe eſt? *Auctor Sermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta Tomo 2. Sermonum particularium.*

Quomodo hoc tempore inſtauratur paſſio, & mors Filii Dei.

Cur mihi non licet vos in ſpiritu Jeroſolymam transferre, vobiſque ob oculos ponere triſtem earum rerum conſummationem, quæ de hominis filio narrantur! Videtiſne, dicerem, matronas illas, quæ mane quidem ad ſacram acceſſère menſam, veſpere ad choreas atque theatra profecturæ? Hæ illæ ſunt, quæ oſculo filium hominis tradunt, quemadmodum hebdomadæ hujus habet evangelium: Luc. 18. *Tradetur.* Videtis homines illos æquo ſolutiores, qui perſonati in conviviis inter procula, atque delicias natant? Hi ſunt illi, qui faciem ejus velamine tegunt, alapas illi impingunt, atque eidem illudunt: *Illudetur.* Iſti qui aleis intenti videntur, illi ſunt, qui veſtem Domini ſibi partiuntur, ac ſuper illam ſortes conjiciunt. Alii qui ſermonibus ſuis aliis obtrectant, atque obſcœna habent colloquia, barbari ſunt, qui illum flagellis cædunt, eique in faciem expuunt. *Flagellabitur, & conſpuetur.* Confuſæ illæ hominum turbæ, quæ cum clamoribus, & ululatibus Salvatorem ſequuntur, quocumque ducitur; illi ſunt, qui poſtquam indigniſſimis eum affecere ſuppliciis, quæ nequitia ipſorum illis ſuggeſſit, cruci illum configunt, eique inferunt mortem. Filiæ Jeruſalem, aſpectus viri hujus dolorum, & ignominiæ ex oculis veſtris lacrymas nequaquam poteſt elicere? Attamen ſi vos illius mala movent, verbis ejuſdem: Luc. 23. vos moneo, ne ſuper illum flere velitis. ſed ſuper voſmetipſas ploretis; inhibeatis, ſi vobis licet, publica mala; intrinſecis fletibus proſequamini tot peccata, quæ hiſce diebus patrantur, niſi eadem reprimere in veſtra poſitum ſit poteſtate; præſertim vero vitam veſtram reformetis abſolute, ac in æternum ſecedentes ab iis voluptatibus, quæ vetitæ ſunt, atque per temperantiam vos iis etiam fraudantes, quæ licent. *Ex moralibus Sermonibus, Sermone pro Dominica Quinquageſimæ.*

Eccleſia hoc tempore proponit memoriam Paſſionis Domini, ut fidelium licentiam coerceat.

Nonne diceres hodierna die publicam eſſe contra Dei Filium conjurationem factam, ac tres hoſce Bacchanalium dies perſecutionibus illius finem, & cumulum ponere? *Conſummabuntur omnia quæ dicta ſunt per Prophetas de filio Hominis.* Luc. 18. At quænam dicta ſunt? *Tradetur, illudetur, conſpuetur, & flagellabitur.* Dictum eſt, illim doloribus, & contumeliis affectum iri, probris, & irriſionibus tamquam theatricum Regem exceptum iri, oculos ejus velamine clauſum iri flagellis iri laniatum, pedibuſque obtritum. At nonne, hæc hiſce diebus fiunt? Nonne in choreis, & ſaltationibus illuditur? Oculi ejus nonne larvis, turpibuſque perſonis obnubuntur? Nonne in luſoriis cœtibus ſors ſuper veſtem ejus conjicitur? Nonne tot obtrectationibus, & blaſphemiis dilaniatur? Nonne verbis, cantionibuſque inhoneſtis eidem in faciem expuitur? Denique nonne tot ſceleribus, atque criminibus iterum crucifigitur? Ne ſitis, Auditores amantiſſimi, ex horum impiorum numero; relinquite perverſum hunc, reprobatumque mundum, & ſi vel modicum Salvatoris gloria vos movet, aliqua in re pietate veſtra, ac aſſiduitate, qua ſacris intereſtis officiis, graviſſimas, quibus afficitur, contumelias reparate. Donec furens populus clamat, Crucifigatur, eumque blaſphemiis proſcindit, ad Crucis hujus pedes adeſte; veluti piæ illæ mulieres, quæ lacrymis manabant, & fidelis ille diſcipulus, qui a cruce numquam recedere voluit. *Joly, Tomo 2. Propoſitionum pro Quinquageſima Dominica.*

Non poterat profecto Eccleſia evangelium aptius eligere ad Chriſtianorum cohibendam hoc tempore effuſiorum in omni in temperantiæ genere libidinum licentiam, quam quod illis in mentem revocat Dominicæ Paſſionis hiſtoriam. Eccleſiæ mentem teneamus, fideles, & ita efficiamus, ut conſideratio dolorum, & ignominiarum, quas pro nobis paſſus eſt Deus, non ab inanibus voluptatibus, & vanis horum inſanæ lætitiæ dierum ſolatiis avertat, & exemplum, cæci, cui oculorum acies reddita fuit, nobis hoc tempore ad Evangelio Matth. 16. propoſitum, a cæcitate noſtra curare nos poſſit: Dei Filius pluries jam de morte ſua locutus fuerat cum Apoſtolis, modo illis dicens, ſe Jeroſolymam aſcendere, ubi plurima paſſurus erat; modo illis profitens, futurum ut filius hominis traderetur in manus hominum ab illis morte afficiendus. Hodie vero fuſius omnes perſequitur circumſtantias, quæ mortem hanc erant concomitaturæ .... Et hanc enumerationem hodie nobis proponit Eccleſia, velut objectum maxime efficax ad affectum noſtrorum imperum infringendum, noſque a peccato, quod vera extitit mortis, & paſſionis ejus cauſa, deterrendos. Neque minus requirebatur antidotum, ut fideles deterrentur, ne abirent poſt tot cœcorum peccatorum exempla, qui hiſce tenebrarum diebus in omnia ſcelera ruunt. *Abbas de Monmorel in Evangelium Quinquageſimæ.*

Obligatio fugendi ſolatia Bacchanalium.

Si hinc quidem certum eſt, voluptates, vel quæ ſunt proximæ lapſus, ſcandalique occaſiones, vel quibus immodice ſeſe aliquis ingurgitat, totidem eſſe peccata mortalia: ſi inde pariter certum eſt, omnes fere voluptates, quibus per hoſce dies indulgemus, aliquem pravum habere characterem, vel omnes ſimul, neceſſario illæ nobis velis, remiſque fugiendæ ſunt; quam rem pauciſſimi animadvertunt. *Ex Moralibus Sermonibus Sermone pro Quinquageſima.*

Fideles hiſce diebus filii Dei paſſionem, & mortem inſtaurant.

Nonne diceres, hiſce diebus, qui, ut ita dicam, dæmoni dicati videntur, fideles imitari velle Judæis, & id quærere, quomodo Dominicæ Paſſionis hiſtoriam inſtaurent? Et ſane, illum produnt, ac Gentibus tradunt: *Tradetur*, uti eſt in hebdomadæ hujus Evangelio: etenim nonne illum prodere, ac tradere eſt, palam concedere in partes mundi, qui apertus eſt hoſtis illius; flagitiis omnibus, atque criminibus ſeſe mancipate; in Chriſtianiſmo ea committere ſcelera, ex quibus Ethnici anſam arripiunt contemnendi religionem Jeſu Chriſti? Hic igitur chriſtianis ea applicari poſſunt verba, quæ olim Dominus per Prophetam Jerem. 2. dicebat Judæis: *Tranſite ad inſulas Cethim, & videte ſi factum eſt hujuſcemodi, ſi mutavit gens Deos ſuos*: Hoc tamen eſt, de quo vobiſcum conqueri debeo. *Ibidem.*

Nonne dicere poſſumus, Jeſum Chriſtum hiſce effrænatæ licentiæ diebus, ubi ignominiæ verti videtur virtutis exercitium, & fas eſſe putatur in omnem libidinem laxare fræna, ab omnibus fere venumdari? Hi ſunt illi dies ſceleris, atque libidinis, qui merito magnum dæmonis commercium vocari poſſunt, ubi crudelem exercet animarum mercaturam, quas vili emit pretio, licet tot Jeſu Chriſti ſanguine fuerint redemptæ. Etenim quo pretio Deus, & anima hoc tempore væneunt? Pro libidinis æſtu, immodico cibo, voluptatibus, quibus plures commixtæ ſunt amaritudines. Quod Regius Propheta: Pſal. 105. olim dicebat Deum, & Paradiſum ab hominibus pro nihil tradi: *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*; hoc potiori jure hodie dicere poſſumus: Nihilum, inane Jeſu Chriſto præfertur: dummodo fluxa, & vix uno duratura momento percipiatur voluptas, Deus, & anima nullo in diſcrimine habentur. *Eſſais des Sermons, pro Quinquageſima Dominica.*

MATRIMONIUM.

Matrimonii ſanctitas, Officia & obligationes huic ſtatui inhærentes &c.

MONITUM.

Quamvis Matrimonium res ſancta ſit, & ad Sacramenti dignitatem per eumdem Dei Filium erecta; nullum tamen argumentum eſt, in quo cautius Concionatori, quam cum de Matrimonio loquitur, agendum ſit. Hinc enim linguæ noſtræ puritas non patitur locutiones eas, quæ vel minimum quidem audientium mentes polluere, caſtaſque aures offendere valeant, quod perdifficile eſt evitare; inde vero tanta ſæculi corruptio eſt, tantaque humani cordis in nequitiam propenſio, ut improbe oblectetur, modo quidem ridendi, atque in cachinos erumpendi occaſionem nanciſcens; modo cogitandi ea, a quibus concionator audientium cogitationem conatur avertere; modo tandem cenſoria nota corripiendi eum, qui ſermonem inſtituit de periculis, ac vitiis ſtatus illius, cujus omnino rudis eſt, & quem etiam ignorare deberet.

Multa igitur præcautione utendum eſt, ſeu in iis, quæ dicuntur, ſeu in ea dicendi ratione. Verum melius puto, evangelico Præconi, cujus eſt omnium ſtatuum abuſus, & vitia corrigere; hac de cauſa, ubi ſeſe obtulerit occaſio, prætermittendum eſſe, quo minus corripiat, atque vituperet ea, quæ in magis communi, magiſque neceſſario vitæ ſtatu patrantur; & eos, qui illum ſuſceperunt, de ejuſdem officiis, & obligationibus erudiat, modum illis tradat, quo in familia regunda ſeſe gerere debent, & eos, qui temere, & ſine vocatione ſtatum illum ingreſſi ſunt, de periculis, ac malis, quibus ſeſe obiiciunt, admoneat.

Ut igitur hoc pertractetur argumentum ad Auditorum utilitatem, quo fieri poteſt maximam, Theologis, Caſuiſtis, & Confeſſariis hanc relinquemus provinciam ad ſingularia deſcendendi, quod ſuggeſtus dignitas Concionatoribus non permittit, & ea tantum colligemus, quæ honeſte, ac utiliter in populo dici poſſunt. Quod ſi quæ alia ſunt argumenta, quæ cum hoc nexum aliquem habere poſſint, qualia ſunt vocatio ad ſtatum aliquem generatim, impudicitia, mundi negotia, & impedimenta, atque ex his aliquid inſeri velis hujuſmodi argumento, ſingula ſuis locis videnda ſunt, & alphabeticus ordo, vel generalis tabula, quæ omnia indicabuntur, conſulenda.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Partitiones.

I. Optima urbes, ac regna bene regendi, omneſque abuſus, & mala, quæ in ſocietatibus omnibus committuntur, ratio eſt proculdubio ſanctificatio eorum, qui in conjugio vivunt: cum enim urbes, & regna ex familiis coaleſcant; ſi familiæ ſingulæ optime fuerint inſtitutæ, tota etiam reſpublica certiſſime dirigetur. Hinc Ethica docet, familiam exiguum eſſe regnum, magnum vero magnam familiam. Ad hunc igitur ſtatum ſanctificandum, ac efficiendum conjugium felix, & inde uberrimum benedictionum fontem eliciendum, hoc in ſermone ad examen revocare in animo eſt. 1. Quid faciendum antequam hujuſmodi ſtatus ſuſcipiatur, 2. Quomodo vivendum, & quid agendum, ubi ſemel fuerit ſuſceptus.

Ariſtot. l. 1. Politic. c. 14.

Pars prima. Quod faciendum eſt, antequam ſtatum ingrediaris, ubi proculdubio magna ſunt pericula, magna ad ſalutem impedimenta, tribus in rebus conſiſtit. 1. Ut Deus conſulatur, cognoſcendum eſt ex ſignis moraliter certis, utrum ad hoc vitæ genus vocatus ſit; licet enim dubio locus eſſe nequeat, quo minus conjugii auctor ſit Deus, quandoquidem hic illud inter primum virum, primamque mulierem inſtituit; & hoc in ſtatu ad altiſſimum perfectionis gradum pervenire poſſit, quod olim Abraham, Iſaac, Jacob, aliique quamplures Dei ſervi præſtiterunt; conſtat liquido tamen, non omnes ad conjugium vocari, unde fit, ut qui in religione ſeipſum ſalvaret, eo in ſtatu ſalutem ſuam minime operetur. Quamobrem antequam uxorem ducas, Deum conſule, utrum id ipſe velit, ſecundum eas regulas, quas alibi tradidimus, cum generatim de vocatione loqueremur. 2. A Deo petendum eſt, ut perſonam illam nobis oſtendat, cum qua fœdus adeo arctum perſtrinendum eſt, ut fideliter ipſi inſervientes ſalutem noſtram operemur; quia quemadmodum Spiritus Sanctus teſtatur: *Prov.* 19. per os mortalium omnium ſapientiſſimi, uxor prudens, ac virtutibus ornata donum Dei eſt, & qui talem nactus eſt, ingens invenit bonum, & gaudium accipiet a Domino. Quod dicitur de mulieribus, de viris quoque ob eamdem cauſam dicendum eſt. Unde liquet, quantopere interſit eorum, qui conjugalem ſtatum amplexuri ſunt, enixius Domino preces effundere, ut ſibi eam perſonam jugali vinculo nectat, cum qua pacatam vitam ducere, ſalutem ſuam operari, ac ſeipſos ſanctificare valeant. Verum hoc negotium non ita in Deum unum conjiciendum eſt, ut minime labores in conjugis electione, ut non revoces ad examen qualitates illius, cum qua, vel quo fœdus jungendum eſt, præſertim vero ut rationem potius non habeas virtutis, bonorumque morum, quam divitiarum aliarumque rerum, quæ inde tibi credere poſſunt &c. 3. Statum hunc aggredi opus eſt propter eos fines, propter quos a Deo fuit inſtitutus, qui a S. Paulo Apoſtolo recenſentur, ut videlicet evitetur incontinentia, eaque vitia, in quæ libido nos trahit; ut filios gignamus, non tam ut nomen, familiamque perennemus, bonorumque hæredes relinquamus, quam ut ſanctos efficiamus optima inſtitutione, quam eiſdem procurare decernimus; & demum ut vivamus in illius contubernio, ac ſocietate, qui, vel quæ nos ſumma charitate complectens opem adferat, ut facilius vitæ hujus incommoda toleremus &c.

Pars altera. Ratio, qua ſeſe gerere debet, qui ſtatum hunc ingreſſus eſt, in eo poſita eſt, ut omnibus periungatur officiis illi inhærentibus, quæ ad tria generatim rediguntur, ſub quibus peculiaria continentur. 1. Ad amorem conjugalem, affectum videlicet, quo conjuges ultro citroque ſeſe debent, ut totum vitæ ſuæ ſpatium ſimul tranſigant, ut mutuo defectus alternos tolerent, ac perfectam invicem habeant confidentiam, quam quidem mulier perfecta ſubmiſſione, vir autem moderatione ſua debet teſtari; ita ut alterius quidem auctoritas imperioſa non ſit, neque alterius ſubmiſſio redoleat ſervitutem, ſed amore omnia regantur; alioquin enim conjugium fiet jugum intolerabile, & crux perpetua. 2. Ad eam fidem ſibi mutuo integerrime ſervandam, quam ante aras ſibi ultro citroque ſervaturos receperunt; ſed citra zelotypiam, citra ſuſpiciones, quæ vulgo levibus cauſis innituntur & quin alternis ob minimam quamlibet ſpeciem ulla ſuboriatur diffidentia: hæc enim cauſa eſt diſſenſionum, divortiorum, ſimultatum, & ut verbo me expediam, malorum omnium, quæ privatis domibus accidunt. 3. Ad familiæ curas, & onera, bona, & mala, proſpera, & adverſa, quæ accidunt, partienda; ſibique viciſſim rebus in omnibus opem ferendam.

Oſtendi poteſt, in conjugali ſtatu Chriſtianiſmi perfectionem obtineri poſſe, & Sanctitatis lauream acquiri. II.

1. Fideliter obeundo omnia hujus ſtatus munera, & officia. 2. Exercendo virtutes, quæ hunc ſtatum maxime decent, curam gerendo ſervorum, filiorum optimam inſtitutionem procurando, ferendo incommoda &c. 3. Deo fideliter in hoc ſtatu ſerviendo, omniaque Chriſtiani hominis officia adimplendo.

In duabus etiam juſtæ concionis partibus oſtendi poteſt: 1. Dignitas, & præſtantia Sacramenti, quod qui- III.